


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXV (Fasc. IV) – N. 152

M. - DECEMBRI A. MCMLV

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

# PALAEASTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permisso

## INDEX

|  |     |
|--|-----|
| AE. ORTH, <i>Vir sanctus</i> . . . . .   | 193 |
| A. ALBERTINI, <i>Colonia Civica Augusta Brixia</i> . . . . .   | 197 |
| G. BEACH - Actensis - <i>Vis atomica utrum bonum an malum portendat</i> . . . . .  | 203 |
| L. SANSEGUNDO, <i>De patriae amore apud Graecos et Romanos</i> . . . . .   | 211 |
| I. GONZALEZ, <i>Nova et Vetera: Meteorologia</i> . . . . .   | 217 |
| TH. MARTINEZ, <i>Cursus Gymnasticus: O navis (HOR. Carm. 1, 14)</i> . . . . .  | 220 |
| J. FABREGAS, <i>Beata nox</i> . . . . .  | 224 |
| M. MOLINA, <i>Frater homo</i> . . . . .  | 225 |
| B. MONTSERRAT, <i>Colloquium: Post nubila Phoebus</i> . . . . .  | 229 |
| N. MANGEOT, <i>In memoriam Gutenbergii</i> . . . . .   | 231 |
| MODERATOR, <i>Sociis responsa dantur</i> . . . . .   | 233 |
| J. SIDERÀ, <i>Per orbem</i> . . . . .  | 234 |
| J. SIDERÀ, <i>Collectanea</i> . . . . .  | 236 |
| BIBLIOGRAPHIA: Aspa, González, Mir, Jiménez, Gras, Aramendia, Sidera .   | 237 |
| PALAEASTRA ADULESCENTIUM:  |     |
| <i>Paedagogus: Visne Latine scire? Lege... — Praecepta vitae informandae</i> . . . . .   | 245 |
| A. SANZ, <i>Manlii poëtae calliditas. — S. PEREZ, Legionarius luscus</i> . . . . .   | 246 |
| P. CODINACHS, <i>Aqua salutaris. — G. VERNET, Aesopus et viator</i> . . . . .  | 247 |
| NEILL - CODINA; MCCALLUM - PUEYO; FITYPATRICK - COSTA; OWEN<br>ET BEECH, <i>Epistulae mutuo dantur inter alumnos</i> . . . . . | 248 |
| <i>Scutum impenetrabile</i> . . . . .  | 250 |
| <i>Paedagogus: Miscentes utile dulci</i> . . . . .   | 252 |
| FORCANO, CABALLERO, GALICCI, <i>Alumnorum scripta</i> . . . . .  | 253 |
| <i>Paedagogus: Aenigmata; Anagrammata Latina; Solutiones</i> . . . . .   | 254 |
| CABRE, MONREAL, MELE, IBAÑEZ, FORCANO, MANGEOT, PAEDAGO-<br>GUS, <i>Rideant, pueri!</i> . . . . .                              | 225 |
| HERREROS, PERNA, COMAS, GARCIA, <i>Curiosa et jocosa</i> . . . . .   | 256 |

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

---

ANN. XXV (FASC. IV) — N. 152

M. DECEMBRI

A. MCMLV

---

## VIR SANCTUS

De «*viro sancto*» ut scriberem, loco Lucretii 3, 371 adductus sum, (cfr. Palaestra Latina, xxv (1955) pg. 142-143), ubi Democritus «*sanctus vir*» ex hypallages figura intellegi debet. Ad hanc opinionem stabiendiā ex ceteris scriptoribus Latinis ea conquisiū testimonia, ubi ista formula «*vir sanctus*» occurrit; qua re casu accidit ut complures simul observationes de vocis «*sanctus*» usu dignae, quae memorarentur, fierent. Locos autem ipsos ex aetate auctorum Latinorum ordinatos nunc placet proponere eosque occasione data breviter enarrare.

ENNIUS (239-169 a. Ch. n.) «*sanctos*» appellat «*poētas*», teste Cicerone, qui in oratione *pro Archia* poēta, 18, Ennianum dictum (cfr. 5 MUELLER) laudat: «*Noster ille Ennius sanctos appellat poētas*».

CICERO ipse (106-43) in eadem *pro Archia* oratione, 19, ita prosequitur: «*Sit... sanctum apud vos humanissimos homines hoc poētae nomen*». In aliis orationibus idem Tullius frequenter «*sanctus*» vocabulo utitur:

- pro *Sexto Roscio*, 33: «*vir sanctissimus atque ornatissimus*».  
in *Verrem*, 3, 185: «*M. Cossutium sanctissimum virum atque honestissimum*».  
in *Verrem*, 4, 83: «*Temperantissimi sanctissimique viri monumentum*».  
pro *Flacco*, 8: «*Quem... provinciae maximaē sanctissimum virum cognoverunt*».  
pro *Flacco*, 15: «*Illi nostri sapientissimi et sanctissimi viri...*»  
de *domo*, 21: «*Quem virum? Sanctissimum, prudentissimum*».  
pro *Balbo*, 50: «*Vir sanctissimus... Q. Metellus Pius*».  
in *Pisonem*, 47: «*Torquato, gravissimo et sanctissimo viro premente*».  
pro *Plancio*, 12: «*Q. Catulo... sapientissimo et sanctissimo viro*».  
pro *Plancio*, 27: «*Ab illo gravissimo et sanctissimo... viro dilectus*».  
*Philippica* 2, 103: «*M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri*».  
*Philippica* 13, 42: «*Dolabellae sanctissimi viri*».

Praeterea in scriptis Ciceronis philosophicis haec leguntur:

*Tusc. disp.* 1, 32, 79: «A Platone suo... quem enim omnibus locis divi-  
num, quem sapientissimum, quem *sanctissimum*, quem Homerum philosopho-  
rum appellat (sc. Panaetius)».

*Tusc. disp.* 5, 12, 36; «Ex hoc... Platonis quasi quodam *sancto* augustoque  
fonte...».

*ad Att.* 4, 16, 3: «...Deus ille noster Plato... cfr. ad hoc dictum: *Augusti-*  
*nus* (354-430) *de Civitate Dei*, 2, 14: «Nos quidem Platonem nec deum nec  
semideum perhibemus nec ulli sancto angelo summi Dei... comparamus».

*Laelius* (=de amicitia) 39: «*sanctissimi viri*».

*ad fam.* 4, 13, 3. «P. Nigidio... *sanctissimo*».

*Lucretius*, (98-55) refert, 1, 730 «*sanctum*» ad «*virum*» qui Epicurus  
cognoscitur princeps discipline quam Lucretius sequitur.

*Lucretius*, 3, 371 (et 5, 622) laudat «*Democriti* quod *sancta* viri sententia  
ponit», id est: Democriti, sancti viri, sententia; in illo nempe versiculo 3,  
371 (et 5, 622) metri causa «*sancta*» scribi oportebat et «*sancti*» unice intel-  
legi, quod solum ad vocem «*viri*», nequaquam ad «*sententia*» trahendum est;  
hoc adjektivo «*sanctus*», Democritus non deus, sed auctor gravissimus sum-  
mique momenti judicatur. Lucretius hoc de Democrito judicium ex Aristote-  
lis quodam opusculo suscepisse videtur, quoniam nondum Plato, sed Aristoteles  
primus Democritum plurimi fecit; ne Epicurei quidem Aristotelem  
ignoraverunt nec praeterierunt, cum Abderitam illum paeclarissimum philo-  
sophum praedicaret.

*Sallustius* (86-34) *Hist* 2, 70, 4, «*Veteres et sanctos viros*» affert.

*Propertius* (47-15) 3, 7, 16: «*sanctos... viros*» laudat.

*Livius* (59 a. ch. n. -17 p. Ch. n.) 31, 24, 18 hoc scribit: «et Lycium  
(=Lyceum, scholam peripateticam) et quidquid *sancti* amoenive circa urbem  
(=Athenas)».

*Vellejus Paternulus*: (circa 30 a. Chr. n.) 2, 7, 3: «Opimius vir alioqui  
*sanctus* et *gravis*». 2, 13, 1: «*Livius Drusus*, vir nobilissimus, eloquentissi-  
mus, *sanctissimus*». 2, 46. 2: «Qui vir *sanctissimus* immunisque voluptatibus...»  
2, 53, 3: «*Sanctissimi* atque *praestantissimi viri*».

*Valerius Maximus* (Tiberio Imperatore, 31 p. Chr. n.) 8, 15, 3-4: «*A  
sanctissimo viro*».

*Phaedrus* (fuit nobilis libertus Imperatoris Augusti: Tiberio et Caligula  
imperatoribus) 4, *epilogus*, vs. 4: «*vir sanctissime*».

*Seneca* philosophus (circa 1-65 p. Chr. n.) *dialogus* 7, 13, 1. «*Sancta*  
Epicurum et recta *praecipere*». *Seneca Epist. ad Lucilium*, 90, 6: «in Pythag-  
rae tacito illo *sanctoque* secessu didicerunt jura».

*Asconius* Pedianus (circa 136 p. Chr. n.) *scholia in Ciceronis Milonem*,  
p. 39: «neque clariores viros neque *sanctiores* propositos esse constaret». As-  
conius *in togam candidam* p. 82: «*sobrii ac sancti viri*».

QUINTILIANUS (circa 35-96 p. Chr. n.) 5, 12, 20: «Gravis et sancti viri ostentet».

JUVENALIS (Trajano 98-117 et Adriano 117-138 imperatoribus) 5, 13, 64: «egregium sanctumque virum».

Plinius, (61-circa 113 p. Chr. n.): *epist.* 1, 22, 1: «Nihil... gravius, sanctius, doctius» (agitur de viro quodam).

2, 9, 4: «Erucius Clarus, vir *sanctus*, antiquus, disertus...».

2, 11, 5: «Julius Ferox, vir *rectus* et *sanctus*».

3, 3, 1: «Patrem tuum *gravissimum* et *sanctissimum* virum».

4, 17, 4: «Ille vir, quo... *gravitatem*, *sanctitatem*, *subtilitatem* tulit».

SUETONIUS TRANQUILLUS (Trajano 98-117 et Adriano 117-138 imperatoribus) *de Domitiano*, 10: «Junium Rusticum, quod Paeti Thraceae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos *sanctissimos viros*»...

FLORUS (Adriano 117-138 imperatore) *epitoma* 1, 6 (12, 6-7): «Eam namque vir *sanctus* et sapiens veram sciebat esse victoriam, quae salva fide et integra dignitate pareretur».

GELLIUS (Marco Aurelio 161-180 imperatore) 1, 2, 7: *Sanctissimae disciplinae* (=philosophiae) *nomen*.

2, 29, 18: «*Sanctiores libri philosophorum*».

9, 5, 8: «Hierocles Stoicus, vir *sanctus* et *gravis*».

14, 4, 3: «Judicem, qui *Justitiae antistes* est, oportere esse *gravem, sanctum*».

APULEJUS (Antonino Pio 138-161) «Asclepius», 14: «Qui ergo homines post nos erunt, sophistarum calliditate decepti a vera, pura, *sancta*que philosophy avertentur».

MINUCIUS FELIX (circa a. 200 p. Chr. n.): «Octavius» 1, 3: «vir eximus et *sanctus*».

Censorinus (circa a. 238 p. Chr. n.) *de die natali* (edidit Hultsch), 14, 12 (=pag. 27, 4 Hultsch): «Plato veteris philosophiae *sanctissimus*».

SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE (circa a. 300 p. Chr. n.) *Maximinus Capitolinus* 15, 7: «Gordianum... virum *sanctissimum* et *gravissimum*».

GALLICANUS «Avitus», 6: «Vir *sanctus* et *gravis*».

ARNOBIUS (circa 305 p. Chr. n.) *adversus nationes* 2, 52 = p. 89, 19: «Platonem illum magnum pie *sancte*que sapientem» (Cfr. ad hunc locum CICERO *De natura deorum* 1, 57, «Pie *sancte*que colimus naturam excellentem»).

DONATUS (ad a. 353 floruit) in Terentii *Adelphoe* 899: «*Sanctum* est quod omni observatione inviolatum est».

SERVIUS (circa 400 p. Chr. n.) *ad Vergili Georgica* 2, 476: «*Sacrum* dici volunt, quod sit cum timore *religiosum*;... *sanctum* (sc. dici volunt) quod cum amore (sc. sit *religiosum*)».

HIERONYMUS (circa 340-420) *epist.* 36, 15, 5: «sanctos viros et Deo caros». *epist.* 46, 10, 1: «sanctos viros». *epist.* 52, 5, 8: «Nec David sanctior nec Salomone potes esse sapientior» *adversus Iovinianum* 1, 5 (=PL. 23, 216, B Migne) «Joseph, vir sanctus et castissimus».

*In epist. ad Titum c. 1 vs. 8-9* (=PL. 26, 569 B Migne): «Sanctus... quod graece ὅστος dicitur, magis id significat, cum ipsa sanctitas est mixta pietati, et ad Deum refertur. Quem enim nos sanctum, graeci ἄγιον vocant; quem autem illi ὅστον, nos pius in Deum possumus appellare».

Conclusionem tandem locutionis *virti sancti* hoc modo paucis faciamus: primo poëta idcirco «sanctus» putatur, quod gratiis Musarum, Apollinis alumnarum, facultate poëtica instituitur; deinde *philosophus* «sanctus» hac de causa existimatus, quia ipsa philosophia ut summa et excelsa scientia ac sapientia «sancta» (i. e. venerabilis) laudatur; ut exempla proferat philosophorum sanctorum: Pythagoras, Democritus, Plato, Epicurus, Hierocles, Nigidius, Paetus Thrasea, Helvidius Priscus.

Praeterea multi alii homines nomine «sancti» ob eam rem honestantur, quod moribus virtutibusque praecellunt; tunc plerumque ad «sanctum» aliud quoque adjективum accedit, ut exempla addam: amoenus, antiquus, augustus, Deo carus, castus, disertus, divinus, doctus, egregius, eloquens, eximius, gravis (saepissime!), honestus, immunis, integer, nobilis, ornatus, pius, praestantis, pudens, purus, rectus, sapiens, subtilis, tacitus, temperans, vetus; numquam vero femina attributo «sancta» invenitur, ne ulla quidem dearum antiquarum sic apud scriptores paganos ornatur. «Sanctus» igitur est tamquam titulus honorarius et dignitas quaedam, qua voce «conscientia perfectus moribusque excellens» homo describitur; hoc vocabulum «sanctus» non religiosa munitum est, ut multo post in vita christianorum, ubi «sanctus» homo ille significatur qui honoribus altarium dignus est; discriminem quoddam inter «sanctum» et «sacrum» doctissimus ille theologus S. Hieronymus fecit; haec vocula «sanctus» maxime in elocutione eleganti, elata, sublimi a rerum scriptoribus, poëtis, saepissime a Cicerone oratore adhibetur, ut major verborum splendor et majestas eluceat. In inscriptionibus denique Latinis creberime vox «sanctus» invenitur; «vir sanctus» apud Romanos quasi idem fuit qui apud Graecos θεῖος ἀνήρ (cfr. L. BIELER: θεῖος ἀνήρ, Wien 1935-1936). «Vir sanctus» porro voci Graecae ἀνήρ σεβαστός respondisse ita videtur, ut postea facile imperatores Romani «divi» possent nominari.

AEMILIUS [EMIL] ORTH

# COLONIA CIVICA AUGUSTA BRIXIA

Opusculum in Certamine Capitolino V, Romae  
mense Aprilis anno MCMLIV habito, pu-  
blica laude ornatum.

Brixiae in foro olitorio nudius tertius deambulabam, nec quanti olus ac far esset ex aniculis percontabar sed ipsa amoenitate loci et hominum feminarumque frequentia ac varietate delectatus nunc consistebam nunc procedebam, cum obviam mihi datur clarissimus et doctissimus vir, X. Y., in Turicensi Athenaeo professor rerumque media quae dicitur aetate gestarum indagator unicus, et salute data redditaque, adventum ei gratulatus gaudioque alacer, ex eo quaesivi num Brixianum Capitolium Museumque Romanum quod vocant visere cuperet (nam antiquitatis et ego tanto studio jamdiu flagro ut plerisque paene stultus videar et eum sperabam non incuriosum). Tum ille:

«Probe, inquit. Non vidisse pigebat. Neque quicquam mihi jucundius potest esse quam pretiosissimas res illic conservatas te duce singulas inspicere atque spectare».

«Postpones igitur, inquam, hodie tuos Langobardos Desideriique regis crucem Lipsanothecamque et diptychum ebur Quirinianum meis Romanis et lapidibus antiquis aeneoque illo Victoriae signo, quo jure optimo gloriatur».

Pergimus ambo recta via ad Romanum sive Archaeologicum Museum, cum ego laudarem ille admiraretur urbis vicos domosque post bellum confectum mature restitutas viasque olim silice stratas, nunc, decurionum decreto, tam apte bitumine obductas ut Brixianus praetor sive syndicus dicatur urbem quam siliceam acceperit bitumineam esse relicturus!

Ventum erat ad Sancti Zeni et jam collis Cydneus (qui, cuniculo acto perfossus, vicos nunc quasi jungere videtur quos olim dividebat) apparebat, cum magnum templum oculis obicitur nostris. Hic ego:

«Hoc quod vidés aedificium Imperator Vespasianus quattuor annis post illam ad Bedriacum pugnam exstruxit, ut ex titulo — C. I. L. V 4312 — sub fastigio in epistyllo inscripto patet. Nam cum tribuniciam potestatem quartum gereret, imperator vero decimum consul iterum et censor factus esset, templum anno 73 p. Chr. n. faciendum curavit aut certe dedicavit, ut Brixianis — ut opinio virorum doctorum est — gratiam referret quod in civili bello suas partes juvissent, Veronensium exemplum secuti, de quibus Tacitus — Hist. III 8 —: «In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque par-

*tes juvere». Quamquam... Vespasianus Cremonam quoque, quae Vitellianis partibus faverat, reficiendam – saltem hortando, ut ait Tacitus – curavit!,*

*«Capitolium dixisti: ergo Capitolinis dis dicata est aedes».*

*«Ita sane. Capitolium enim coloniae fuisse memoria nostra recte putatur, cum saeculis superioribus Herculis aedes. Opus quidem amplum atque magnificentum magnumque hujus oppidi ornamentum. Ut hodie duae praetoriae domus, quarum altera «il Broletto», altera «la Loggia» vocatur, et tam multa christiana templo multaeque privatae domus cum ad aliis splendidis viris tum a comitibus e Martinengo aedificatae, sic temporibus antiquis Capitolium, Theatrum, Forum, Curia, Basilicae, Deorum templo non parum decoris Brixiae attulisse jure putantur.*

*Terra obrutum disjectumque multa per saecula fuit, cum post barbarorum migrationes (at quo saeculo nulla fuit barbaria? Ne recentiores quidem per jocum – ut ajunt – diruere solent, docentibus Alamannis, secutis omnibus!) aut ferro ignique vastatum esset oppidum aut aedificia vetustate ipsa et hominum incuria corruissent. Non omnis tamen antiquorum monumentorum periit memoria; quamquam... pauca eademque obscura de iis scriptores mediae aetatis tradiderunt. At vide, quaeso, ne dum colloquimur ad lapidem offendas aut... in columnas incurras!»*

Nam multa lapidis vel marmoris fragmenta humi fusa jacebant et ille in columnam truncam crus impingebat ni revocasse.

*«Saeculo quinto decimo, inquam, Brixianus scriptor, Jacobus Malvezzi, commemoravit in Chronicis muros quosdam et columnas et porticus prope Sancti Zeni aedem a se esse conspectas easdemque palatii ab Hercule ipso aedificati reliquias esse conjectit. Helias contra Capreolus Maximiani Augusti domum eam fuisse putavit. Postea Octavius Rossi (1570-1630), hoc loco publice effodere jussus, atrium magnum a se inventum testatur eamque dicit Herculis aedem fuisse, argumentis tamen nullis aut certe parum firmis nisus.*

*At cetera praetermitto quae scriptores praeteritorum temporum commenti sunt ne te nimio afficiam taedio. Vereor etiam ne tam multa dici de Romanae aetatis monumentis paeniteat cum de mediae pluris intersit tua. Ignoscas quaeso: Brixianae enim antiquitatis jamdudum studiosus sum factus – Romanus Romana pervestigo – neque id parum probatur etiam apud istos industriae avaritiaeque deditos homines qui plurimi in Langobardia vivunt».*

*«Et in Helvetia! inquit. At minime taedet, quin etiam perge: et ego molestiora ferre soleo et tu quae sunt graviora dicendo tolerabiliora facis».*

*«Humanissime, inquam, immo facete! Brevius igitur rem exponam, praecipua complectens et quasi astrigens. Sed colloquentes procedamus ut, gradibus superatis, in templum ingressi singulas cellas visamus. Tribus enim ex cellis hoc templum constat, neque mirum cum pleraque hujusmodi aedificia ternis instructa sint, sed hujus Brixiani Capitolii cellae altera juxta alteram posita est, nullo inter se aditu. Quare aedes tres dixerim. Quarum laeva*

quae est et magno portae foribus destitutae hiatu conspicua aere publico his annis refecta est, moderante doctissimo viro, Y. Z., antiquitatibus quas dicunt Langobardiae servandis praefecto, Brixianis tamen operas et materiam praebentibus. In qua tituli ad urbem Brixiam pertinentes servabuntur, in dextra (cella) ad agrum.

Mediae vero, quae maxima est, tectum vetustate putridum reficiendum, porta autem «ad antiquam amplitudinem» restituenda secundum doctissimorum hominum vota, quod est sumnum artium liberalium consilium. Intus autem minime mutabitur eundemque ordinem ac speciem praebebit quo Vantinius instruxit. Lapides contra quos in parietibus insertos vides (aut etiam pictos, ut earum quoque exempla superessent inscriptionum, quae a doctis praeteritorum saeculorum viris descriptae postea perirent) Labusius generatim digessit. Nunc, ut vides, cetera supellectile marmorea, aenea, fictili sepulta —(cui) servanda nova domus atque sedes aere publico aedificatur— una statua est exposita. Quam, ni fallor, alicubi conspexisti et fortasse laudavisti».

Tum ille, cum subito respexisset: «At hoc aeneum splendidumque Victoriae signum in Turicensi artis domo sive *Kunsthaus* anno 1949 in cubiculo ad hoc ipsum servato positum vidi, cum in ceteris cubiculis vel exedris multa illa cimelia ex omnibus Langobardiae christianis templis et privatis aut publicis Museis collata spectari possent: fictilia aut argentea vasa, signa marmorea, tabulae pictae, imagines ex tabulis ligneis vel aeneis expressae, omnia miro atque unico artificio facta».

«Et ego Turicum veni ut, quamquam in Langobardia vivo, Langobardiae thesauros viserem, cum alia tum maxime Victoriam, ut quae, aliquamdiu peregrinata, anno 1948 in Romana antiquis pretiosissimisque operibus restituendis officina esset refecta. Sed urbem quoque vestram, quam pulcherrimam Helveticarum judico, libenter visitavi cumque doctissimis quibusdam viris latine ita collocutus sum ut alter quid alter sentiret cognosceret et aliquid inter nos intellegeremus quamvis natione, religione, aetate diversi».

«Macte virtute! Plerique latine callent, at cum inter se colloquuntur raro inter se... consentire videntur! Aut si videntur, non semper hic quid ille sentiat plane intellegit, saepe etiam inepte annuit. At tu nostros in longum ducis amores, studium dico quo cetera de Victoria ista audiendi gestio».

«Confecit, inquam artifex aetatis Augusti —ut est recentior opinio, non Flaviorum ut antea putabant— aut exemplar aliquod Graecum imitatus aut ex multis Graecis statuis commodissimum quidque eligens. Idemne Victoriae insignia cum Aphrodites forma specieque conjunxerit, alis insuper additis et umeris —parum quidem perite— accommodatis, an alias post eum, nescio; aliae certo quae exstant ex deteriore aere factae sunt. Victoria denique ex Aphrodite!».

«Quid, quaeso, pede premit, quid manibus tenet aut tenere velle videtur?».

«Aphroditen aliquam Martis clipeum tenentem, in quo quasi in speculo se contemplaretur, Graecus artifex certe effinxerat, pede autem galeam prementem. Sed is, quisquis fuit, qui in Italia hoc signum ex aere fecit Victoriam (fieri) voluisse videtur; orbem igitur manibus (teneri) statuit in quo quasi in tabula vel in lapide aut fortissimi viri aut rei egregie gestae laudes inscriberentur. Quare is proxime vero accessisse videtur qui illud exemplar ad belli annis 1915-1918 feliciter gesti memoriam servandam in saltu «il Tonale» positum fabricatus est. Similis est Victoriae imago Trajanea columna cochleata insculpta. Non defuerunt tamen qui triumphali curru vectam suspicarentur, cum haec Brixiana Victoria una cum aenei currus reliquiis anno 1826 esset reperta».

Stabat dea capite aliquantum demisso, luminibus —ut apud Graecos fieri solebat— subtristibus, umerum papillamque dextram exserta, cum tunica in laevo subnexa esset.

«Mea quidem est opinio, inquam, hanc statuam, quam supra dixi aetate Augusti esse factam, referri posse ad coloniam ab Augusto Brixiam deduc tam, quo anno incertum, non tamen ante annum 27mum, neque post octavum a Chr. n., ut ex titulo quodam —C.I.L. V 4201— patet, in quo duoviri quinquennales ejus anni memorantur. Hic praeterea aedificium vetustius surgebat, quod cum aut bello civili eversum esset aut vetustate putresceret, Vespasianus nova aede erigenda quasi sepelivit. Manent vestigia. Quae Vanti nius ille clarissimus descriptis et illustravit quaeque maximi momenti puto ad antiquam Brixiae Romanae historiam aperiendam (Vide «Museo Bresciano Illustrato», vol. prius). Etenim Augustum aliquod magnum aedificium hic fecisse, cum, colonia deducta oppidum muro cingeret, domibus aut insulis, vicis, templis ornaret, aquas —C.I.L. V 4307— perduceret viasque saxo quadrato sterneret, quod antea fortasse minime factum erat, valde probabile esse videtur. Ne Capitolium fuerit: at aedes aliqua aut curia aut basilica».

«Augustus igitur, ut dicis, coloniam Brixiam deduxit. Sed antea quae fuerat, quaeso, oppidi condicio aut quae gens tenuit quaeve gentis origo?».

«Mineme cupio esse molestum. Quare quam brevissime potero antimquam Brixiae historiam exponam, immo perstringam, ut gratum tibi faciam.

Primos haec loca tenuisse Ligures (vel Libuos?), deinde Etruscos communis fama opinioque est. Post hos Cenomanos, quorum caput Brixiam fuisse auctor est Livius. Hoc etiam Catullus confirmare videtur (aut queri? aut ride re?) cum ait (67, 34) Brixia Veronae mater amata meae.

De qua Catulli sententia cum doctissime disputavissent omnes fere litterati viri qui his saeculis fuerunt florueruntque, tum maxime Brixiani et Veroneses in campum descenderunt acieque quasi dimicaverunt, ninio —ut ajunt turris civicae amore impulsi: suae utrique patriae decus et principatum unguibus ac rostris fortiter defenderunt, eo nempe saeculo quo veris armis Itali nullos arcebant barbaros.

At Brixianos principem in Transpadana regione locum tenuisse antequam Romani potiti sunt quis negaverit? Cenomani enim omnia fere inter Adduam flumen et Athesim loca tenuere atque dominati sunt, quamquam fines parum certi et, ut ajunt, fluidi fuisse videntur. Oppida eorum fuere non solum Brixia et Verona, verum etiam, ut auctor est Ptolemaeus, Bergomum, Laus Pompeja, Mantua, Tridentum.. In Romanorum dicionem vero amplius ducentis ante Chr. n. annis venerunt non, ut Mommseni verbis utar, belli jure sed foedere sociique populi Romani a Polybio dicuntur. Non semper tamen in fide manserunt: nam Hannibalico bello primo fideles deinde defecere; post pugnam ad Metaurum in amicitiam redierunt, sed anno ducentesimo, secundo bello punico confecto, iterum descivere et Placentiam una cum Insubribus et Bojis invaserunt captamque diripuerunt. De Cenomanis tribus post annis Cornelius Cethegus consul triumphavit: jure igitur belli in dicionem tandem venerunt, quamquam affirmaverant, non sine aliqua sapientia et calliditate, seniores eorum non ex auctoritate sua sed juvenum voluntate atque libidine arma a Cenomanis esse sumpta. Ceterum nisi turbulentos Cenomani se praebuissent, Galli non erant!

Qui fuerit deinde eorum status haud satis constat cum nulla aut certe pauca monumenta exstant, sed et societatem cum Romanis iterum conjunxisse consentaneum est et foedera Cenomanorum, Insubrium, Helvetiorum... Cicero – Balb. 14. 32— suis temporibus exstare confrmat. At post bellum sociale gestum quae fuerit condicio ex iis possumus suspicari quae de omni Gallia Transpadana colligi adhuc potuerunt: Brixianos —non tam Cenomanos ipsos crediderim quam homines Italicos qui plurimi in Transpadanam ad victum mercaturis faciendis vel agris colendis quaerendum quomodocumque venerant— anno 89 jure Latii, civitatis vero anno 49 ut ceteros Transpadanos esse donatos».

«At Cenomanorum oppidum quo loco positum fuit?».

«Ne hoc quidem satis constat. Sunt qui illos habitasse coniant in declivio inter Cydneum sive Cycneum, quem vocant...».

«Quem Catullus, ni fallor, Cycneam speculam... immo Chineam libri...».

«Ita plane!... inter Cycneam speculam et eos colles qui nunc «i Ronchi», vocantur quosque brevi funali curru vectus vel aërio rudenti tractus ascende-re quivis poterit! Hunc autem fuisse Gallici oppidi situm inde coniciunt quod in hac extramurana regione, in orientem spectante, primi apud Brixianos videntur exstitisse Christiani. Indigenas enim Gallos veterem ac gentis proprium deorum cultum, Mercurii, Ditis patris, Herculis, Matronarum... ser-vasse et ad christianam fidem et religionem recta via quasi transisse, prius certe quam Brixianos municipes, maxime verisimile est. Sed ad rem redeo.

Brixianorum rem publicam primum anno 49 in municipii formam esse redactam consentaneum esse censem Mommsenus, IIII virorum jure dicundo mentionem servatam esse titulis duobus, quorum alter a Tottio, Brixiano

scriptore, descriptus desideratur, alterum —C. I. L. V 4427— isti parieti quasi applicitum vides. At non omnis remota est difficultas, nec desunt qui hunc ipsum titulum posterioris aetatis judicent, quibus freti argumentis nescio.

Brixiam contra coloniam Augusti fuisse testantur tituli —C. I. L. V 4202, 4212, 4307, 4466—, omnes docti consentiunt. Lege, sis, unum vel alterum istius tituli versum:

*Genio / [col]oniae civicae aug(ustae) / Brixiae...*

Civica fortasse ideo dicta est, ut Mommsenus putavit, ut aliquid interesset inter Brixiam et ceteras ab Augusto colonias post pugnam Actiacam deductas quae militares fuerunt. Inscriptiones vero et urbis et agri Brixiani in unum collatae amplius mille numerantur: Brixia igitur Mediolanium, Veronam ceterasque Galliae Cisalpinae urbes vel oppida praeter Aquilejam titulorum copia facile superat».

Jam advesperascebat et uterque jam fessus cupiebat discedere, ille indeversorium ego domum meam. «Claudite, inquam, jam rivos, pueri: sat... aures tuae biberunt! Nec tanto taedio te affici cupio ut res antiquas in posterum fastidias!».

«Immo maximas ago tibi gratias. Nam per te multa, cum jucunditate magna, didici quae jam diu cupiebam. Cras, ni pigebit, ad Museum christianum deduces. Nunc vale».

Diversi discessimus ut altioribus rebus omissis cotidiana curaremus. Urbis vici longo ordine globorum vel lucernarum vi electrica splendentium lucebant, raedaeque et birotae motoriae insane strepebant, pueri laetis vocibus in areolis exultabant lascivi, adulescentes puellaeque deambulabant et inter se colloquentes aut oculis mirantes gaudebant. Res antiquae subito evanuerunt, recentiores urgebant.

ALBERTUS ALBERTINI

# VIS ATOMICA UTRUM BONUM AN MALUM PORTENDAT

Opusculum in Certamine Capitolino VI  
publica laude ornatum.

Cum uxor epistulam mihi tradidit quae a filia tunc ad universitatem studia prosequente modo allata erat, rogavi: quid dicit? Ea, in cuius vultu stupor quidam et admiratio manifestabantur, tu modo, respondit, legitio. Illa enimvero dicebat se et ceteras puellas de minis quae e vi atomica natae essent die noctuque disputantes mirari num operae pretium foret studia prosequi, si in eo esset ut per illam vim omnia fortasse delerentur. Quid nos, rogavit uxor, ei respondeamus? Bono tu, respondi, esto animo. Multi enim juvenes hodie animi ita commoventur. Nondum satis malorum experti sunt ut eis aequo animo obviam eant. Rem reputabo ipse atque ad eam scribam.

Itaque, quod nihil mihi liberis atque eorum tranquillitate antiquius est, ad hortos publicos me contuli. Ibi est rosetum quo quotannis rosis maxime florentibus homines undique, etiam e longinquo, ad eas admirandas se conferunt. Ibi quoque est stagnum quod mirum in modum anates celebrant cujusque ripae a puerulis puellulisque conteruntur cupidis earum pascendarum. Suave est ibi spatiari, nam animus his parvulis tam alacribus atque roseti tranquillitate stimulatur.

Ibi totus in cogitationibus spatiabar, cum amicus doctrina illustris, quo nemo mihi carior est, me compellavit. Juvenis eum comitabatur, discipulus valde ingeniosus.

Is tum, en tu, exclamat, quid tam morosus vagare neque, quod animadverterim, has rosas splendidas aspicis? An verba Ausoni te maerore explent:

Mirabar celerem fugitiva aetate rapinam  
Et, dum nascuntur, consenuisse rosas.  
Ecce et deflexit rutili coma punica floris,  
Dum loquor et tellus tecta rubore micat.

Ego, recte tu, inquam, cum dicis me rosarum vix conscient fuisse sed, cum mihi in mentem Ausonii non venisset, aliquid istorum versuum fortasse simile contemplabar. Epistulam scilicet hodie a filia Patricia accepimus quae nos nonnihil perturbavit. Illa enimvero atque condiscipulae multum perturbantur ne vis atomica exitium toti mundo portendat. Tu utique, ut ludi ma-

gister, scis quales sint nostri juvenes. Omnia hodie perpendunt et sunt sane multa perpendenda. Necessa est igitur eis sapienter, vel potius, quam sapientissime possumus, respondere. Sin secus, quia callidi sunt. insipientiae nostrae gnari nos missos facient neque jam monitores habebunt. Simul cum de respondendo deliberarem, reputabam quantum omnia, ex quo tempore nos coaequales pueri fuimus, mutata sint. At hunc discipulum tuum in locum filiae supponamus, nam coaequalis procul dubio eisdem quaestioneibus permovetur.

Recte tu quidem, tum interfatur juvenis. Illis adeo minis omnes perturbamur. Si horum urgentium malorum aliquod esse suffugium demonstrare possis, gratissime facies. Hujus rei causa filiae haud invitus supponar.

Amicus exinde, eloquere, inquit, sed omitte tempora acta laudare. Istaec minime ad rem attinent. Contemplare potius, quot quaque commoda sit consecutum genus humanum. Num velis ad ea tempora ante telephonium, umina electrica, autoraedas inventa redire? Ecce omnes fere viae jam nunc bene stratae et leves sunt. Contra, nobis pueris, angustae scrupulosaeque fuerunt; si itinera facere volebamus, vel pede vel equo utebamur et ea itinera quae hodie semihora conficiuntur, tum aliquot horis aegre conficiebantur.

Quod tempora, inquam, ea quae memoras, repeto, noli putare me ad ea redire velle. Quamvis essent jucunda, non infitiabor multa incommoda insita fuisse. Attamen, si voluptates juveniles regustare volo, num tibi peccare videor? Sed non omnia quae sub nomine progressus, qui dicitur quemque jac-tare velle videris, geruntur, eo nomine digna sunt. Haud dudum, scilicet, cum in taberna pistoria quererer quod panem integrum, i. e. nondum scissum emere non poteram, puer mihi dixit: progressum agnoscere necesse esse. Cui respondi: Oh, rem mirabilem! Pane scisso ad meliora promovetur genus humanum. Omittamus autem omnia machinamenta quae labores famularum, si quae sunt, vel ipsius dominae patinis lavandis, vestibus quoque lavandis levigandiseque, pulvere ex omnibus angulis exsugendo, allevant; clibanos quoque vapore carbonario vel vi electrica calefactos, unde fit ut carbones labore humano in aedes inferri non sit necesse; fornaces oleo vivo calefactos quibus domus non modo commodiores factae sunt sed labor vel famuli vel ipsius domini carbonum bis terve in die ingerendorum sublatus est. Omittamus quoque machinamenta quibus fossae ecfodiuntur; quibus labores agricolarum mirum in modum allevati sunt. Haec beneficia esse novi. Adde quod usus horum machinamentorum plus alimentorum suppeditat. Atqui num haec alimenta tam bona sint quam ea quibus olim fruebamur, dubito, quod his machinamentis introductis multitudo diminuta est animalium quorum opera arva stercorabantur. Huic stercori nativo sufficitur ad arva laetificanda aliud genus stercoris, stercus dico quod aliud nomen deest, quod ex petris et aliis rebus chemicis factum est. Hoc deterius sive ad holera eis primordiis alibili-

bus afficienda, quae ad corpus nutriendum utilia sunt, multo minus efficax esse duco, quoniam eadem quae in stercore nativo vitaminæ inesse in hoc stercore chemico non queunt, quas quidem, ne nobis desint, apud medicamentarium emere necesse est. Atqui haec machinamenta non nego esse vera beneficia, quibus introductis contenditis nos esse aliquatenus progressos. Sed quo vel quatenus progressi sumus? Sic enim habetote, si humanitas cultusque cuiusvis populi non anima innititur quae philosophia religioneque alitur expliciturque, eum populum ocius serius esse periturum.

Non haec machinamenta, cum advenistis, reputabam, nam exitus quem quaerimus ex hoc discrimine rerum, non invenietur in his rebus neque in eis constant illi progressus optati, verum inde exorietur otium unde nascantur progressus, illud adeo otium quod veteres philosophi ad sua studia expectebant atque in bonis ponebant, quodque nobis, modo eo digni simus, bonae frugi esse poterit.

Equidem miror, interfatus est discipulus, quod haec machinamenta, quae non inficiare multa beneficia attulisse, non pluris aestimas, in quibus mensuram normamque vitae nostrae, quam mirum quantum jactamus, plerique locant. At ego equidem audire velim quid de his rebus sentias et quid te ad istam sententiam adduxerit.

Haud falso, inquam, eos interpretare, sed illi haud recte, immo prave insciteque qui vitam nostram quam pro bona, si non beata, haberi volunt, ita metiuntur. In hoc faciendo ad sola instrumenta spectant; fines, ad quos tendere oportet, omittunt. Ne plura, nam illic instrumenta nihil amplius sunt quam quae ad finem aliquem consequendum utilia sint. Sin autem ea magno in numero habeas et finium quo tendas obliviscare, in barbariem quandam declines.

Tum ille, sententiam tuam, inquit, velim evolas, nam non est mihi omnino perspicua neque, reor, magister ei consentit. Sin autem aliquid boni consilii inest, id complecti volumus, ne falsa freti sententia cum vulgo feramur ineruditio ignobilique.

Persuasu tum utriusque, nam dicebant se, assensione et dissensione cohita, me aequo animo audituros, sententiam evolvere coepi.

At ego, onus mihi, inquam, longae orationis imponitis sed si laborem ejus audiendae sustinere poteritis, ego equidem laborem sententiae meae explicandæ suscipiam et vobis morem geram. Ceterum nolite putare me hoc invitum facere, nam vobis audientibus facilis mihi erit cogitata ordinare et identidem aliquid percontantibus, si in quas incidero, ambiguitates tollere. Sed quod hic nobis senibus multo junior est neque novit quae pueris et me et te fuerit vita nostra, inde ordiar.

Agedum, me puero, pater qui medicus fuit telephonum habebat quod, cum hodie vulgo in expedito, immo saepe in triviis sit, illis diebus perrarum erat. Ut scias quam rara fuerint, cum urbs nostra a quinquaginta millibus

hominum stiparetur, illi telephonio assignabatur numerus quadragesimus nonus. Clientibus igitur, quorum perpauci id domi habebant, si ope ejus noctu egebant et rure habitabant, iter ad patrem arcessendum equo facere necesse fuit. Is invicem suum sterneret necesse fuit. Nulla tum erant lumina electrica et domus vapore carbonario vel lucernis illuminabantur, neque domus aequa calebant quam hodie, quam ob rem in focis caminisque ignis servare necesse erat neque vestimenta eandem ob causam tam tenuia quam hodie gerebamus. Qui in oppidis tum victimum quaeritabant, ibi haud procul ab officinis habitabant, neque quisquam fere in suburbis habitans iter cotidie in oppidum faciebat. Qui ruri habitabant, omnes fere se fructibus agrorum suorum tolerabant et perraro ad oppida ibant.

Si tunc piscatum venatumve ire volebamus, non, ut nunc, itinera ad loca longinqua, verum excursus breves rus faciebamus, ubi nemo fere homines venari piscari in suis agellis moleste ferebat. Quod hodie si liceret, quis dubitaret quin venatores omnia delerent? Pater me puerum piscari venarique docuit. Ut omnes pueri, illius artis avidus eram. Paene cotidie eschola dimissus, harundine arrepta, ad rivulum propinquum piscatum currebam.

At vos adulescentes hanc artem non calletis, nisi ad loca longinqua patres vos ducunt; squalent enim jam rivuli propinquui; diffugere pisces.

Tunc ubique erant equilia atque omnes fere pueri equorum, ut nunc machinarum aëroplanorumque, studiosi erant. Nemo tum odores stabulorum calidos neque insuaves, quod animantia aderant, fastidiebat. Hos non nostis. Pro eis fetores olei vivi hauritis. Vestri me miseret qui animantia ignoretis, machinamenta pro eis colatis.

Ante annum meum quintum decimum autoraedam non videram. Quo tempore parentes primam emerunt, nemo credebat nos unquam equis carituros. A vultu video te id vix credibile ducere.

At vita tunc simplex fuit. Vespere perraro exhibatur. Parentes liberique domi manebant et bonos libros legebant vel quavis lusione sese una oblectabant. Longas horas muneribus fungendis insumebant et die Saturni aequa et ceteris diebus occupati non querebantur. Enimvero sorte contenti erant. Sed etiamsi longas horas agebant, non tam lymphatice laborabant quam hodie sive, ut dicit Seneca (*Ep. LXXXII*), in officiorum vorticibus volutabantur, ut corde capti praemature obirent.

Subito autem bello mundiali priore haec vita simplex finita est. Ex illo tempore omnia usque accelerantur. Ipse scis qualis sit hodierna vita. Ubique radiophonia, ubique teloramata. Qui earum rerum expertes sunt, hi a multis fatuis despiciuntur, quam ob rem non nulli, ne pro inopibus habentur, ad tectum illud rete teloramati necessarium affigendum curant. Num legunt? Minime! Vel cenati vel etiam cenantes illi rei se agglutinantes totam vesperam ibi sedendo consumunt. Numquid laudabile spectant? Immo vilissima plerumque spectacula sunt. Pugiles et luctatores et fabellas fatuas nu-

gatoriasque, si non moribus puerorum noxias, spectant. Quaenam mulier quin hodie frigorifico electrico et machinula electrica pulveris sordiumque devoratoria et alia, quae vestis lavet levigetque, fruatur? Jocandi causa dicere licet, cum mulier sic scopas sustulerit, virum praeterea alieno scopas solutas esse factum. Quaenam domus quin autoraedam, fortasse duas, possideat? Quod pravius vel ineptius est, ministri societatum anonymarum autoraedas ex ordine suo emunt atque provecti statim meliorem acquirunt. Si copiae ad has res nummis numeratis comparandas parum sufficient, easdem nummis mutuandis comparant. Itaque nimis multi in aere alieno sunt, quae debita per annum vel sesquiannum solvuntur. Interim alia sunt quae emenda eodem modo sint. Plurimi igitur aere alieno usque vexantur fatiganturque.

Ita fit ut operarii qui olim fideli erga dominos animo erant, erga eos stomachosi morosique jam facti sint neque largiorem mercedem flagitare cessent. Quod largiorem mercedem poscunt, haud moleste fero, dummodo opera mercedi paria reddant, nam dignus est operarius mercede sua, sed dignum esse oportet. Neque moleste fero horas minui laboris, sed esse lege sanctum quot horas operarii laborebant; quot simplice mercede; quot sesquialtera; quot duplice, id moleste fero. Enimvero bona ratione repugnat, libertatem constringit, neque ad tempora facile aptari potest, nam quod lege sanctum est, rigidum est. Sed de hoc postea. Eadem olim sumptibus parcebant. Hodie .. Immo vero multi malunt, potius quam sumptibus parcant ut causarii vel seniores suo vivant, patriae esse curae. Simul autem brevius operari volunt. An sic putatis humanitatem nostram promoveri?

Es, inquit juvenis, laudator temporis acti atque illiberali erga operarios esse animo videris. Ne plura, democratiam quae dicitur aspernare.

Minime hercle. Tu autem vitio rationis plerisque communi laboras. Si quis hodie cuiquam rerum novarum studioso repugnet, ne novae res male conceptae lege sanciantur, propugnatoribus in usu est sibi repugnantem calumniari et vituperare. Inuria mehercle, nam multa nova quae civibus magno usui bonaeque frugi esse potuerunt, illam unam ob causam vitiantur et civitati obsunt. In ore omnium hodie est democratia. Ecquis sanae mentis verae democratiae aduersetur? Verum si quis quod proletarius sit vel manuum mercede victimum quaerat, praeterea arte politica instructioribus scientiam sibi arroget rei publicae gerendae, hoc perperam atque inuria fit. Nam vera democratia sibi optimum eruditissimumque quemque ad rem vel sapientissime gerendam vindicare vult; tales autem ceteri eligant ut ducibus vel optimis utantur. Hoc vitium tu effugito. Est etiam aliud quod velim effugias. Nihil verae democratiae refert unde quisquam natus sit; utrum tenuem modo rem habeat an opulentus sit. Illa dignitatem modo hominis integritatemque perpendit.

Itaque vituperationes conviciaque quae in divites vel praedivites hac una de causa ingeruntur quod divites sint responso atque ea jure respui affir-

mo. Eos profecto omitto qui avidi divitiis mirum in modum congestis glorian-  
tur neque eas ad usus humanos dirigunt. Si vis scire, divites frugi fuerint  
necne, circumspice. Unde nobis tot universitates quae scientiam amplificant?  
Tot scholae ubi adulescentes artibus litterisque erudiuntur? Unde biblioth-  
ecae et pinacothecae et musea quae omnibus patent? Unde nobis tot instituta  
scientifica quae tot remedia adversus morbos haud dudum letales efficacia in-  
venerunt, nisi ex dono ac liberalitate divitum? Ad quos fines potiores divi-  
tiae adhiberi possint? Quid si his institutis careremus?

Anne eos arbitramini liberales esse qui divitias his adimunt dissipan-  
das, praesertim ut apud vulgus hac prava largitate corruptm gratiam ineant,  
quae gratia largitate omissa tabescit? Eosne tandem esse liberales arbitramini  
qui sub specie omnium civium aequiparandorum meliores ad aequalitatem  
cum inferioribus deprimunt? Quanto melius sit inferiores, si possumus, ad  
meliores aemulando excitare ita ut utrique non modo aequales sed boni eva-  
dant. Istocine modo ad hoc humanitatis provecti sumus? An aemulatione,  
quam dixi, feliciorum et cupiditate rerum expetendarum atque optabilium?  
Si animus hac aemulatione et hac cupiditate, qui animi motus, quod ad me-  
liora affectanda id genus aemulum cupidumque cident, boni sunt, ad amplio-  
rem humanitatem stimulatur, hoc, reor, est secundum naturam vivere. Nos  
naturae, de qua Cicero dixit (*Rep.* 6, 26, 28): «quod animal est in motu cie-  
tur interiore et suo: nam haec est natura propria animae et vis», partes assig-  
namus etiam maiores. Deus enim cum mundum crebat, leges omnibus ani-  
malibus imposuit, quarum legum exsequendarum naturae assignavit officium.  
Natura igitur legis divinae sive voluntatis Dei imago est. Ergo recte veteres  
Academici et Peripatetici quorum dicit Cicero in altero libro de Finibus sen-  
tentiam fuisse: «finem bonorum esse secundum naturam vivere». Itaque si  
Natura homines aemulatione quadam et cupiditate imbuit, hos animi motus  
in bonis haberi necesse est. Qui igitur his motibus ad meliorem vitae statum  
incitatur, congruenter Naturae vivit, id quod extremum est. Praeterea sen-  
tentia peritorum anthropologiae est naturam aptissimis favere. Qui autem  
ineptissimis favet et aptissimis officit, is Naturae neque paret neque con-  
gruenter vivit.

Tum ille: num tu misericordiam tollis? Ego, minime, inquam, est enim  
misericordiae locus. Idem quos, aptissimos et felices vocavi, hoc beneficiis  
ostenderunt verum esse. Praeterea, si praecepsis religionis nostrae adhaere-  
mus, misericordes esse nos oportet.

Sanctus Paulus multum locutus est de Caritate quae cum misericordia  
conjuncta est. Scribens enim ad Corinthios (I Cor. 13, 13) dixit. «nunc autem  
manent fides, spes, caritas, tria haec; major horum est caritas». Idem dixit:  
«quia caritas operit multitudinem peccatorum».

Sed noster maximus poëta Shakespeare in ea fabula quae Mercator Ve-  
netianus inscripta est, haec quae ipse Latine temere reddidi, pronuntiavit:

Natura non tenuatur misericordiae.  
Ceu pluvia genialis caelitus cadit.  
Quae subtus sunt, loca rorat. Bis beata ita est:  
Nam qui largitur et qui recipit, hos beat.  
Qui valde pollut, est in his potentior.  
Corona regem nulla aequa decere quit.  
Sceptrum est insigne regalis potentiae,  
Indicium majestatis et reverentiae.  
Sed longo vincit sceptrum misericordia  
Et cordibus dominorum comprehenditur.  
Dei est haec propria justitiamque decorat.  
Hanc rem divinam si mortales exhibent,  
Tum proxime admoventur ad thronum Dei.

Quid pluribus? necdum haec amplius tractare volo, nam, cum dicerem operarios brevius operari velle, a vultu tuo perspexi hoc dictum tibi aegre placere. Sic autem habeto: mea nihil interesse quot horas operibus insumant. Evidem nolo has ab administratione praescribi sive lege sanciri, ut jam dixi, quod, si ita fit, arbitrium liberum perit. Omnia tum, quae inter operarios et dominos pacisci oportet, lege imposita quadam rigiditate afficiuntur. Administrationis est nihil amplius quam regulas praescribere secundum quas domini operariique inter se agant ac, si quae sunt, difficultates componant. Qui autem ajunt octonas horas singulis diebus vel quadragenas singulis hebdomadibus recte laborari, meras nugas effutiunt. Una enim est mensura normaque hujus rei: ut necessitudinibus victus, suffugii, vestitus satisfiat, quod utrum paucis an multis horis efficiatur, nihil interest. Haec necessaria sunt. Suppeditanda sunt. Cum homines rudibus instrumentis uterentur, cotidie solis ab ortu ad occasum ad necessaria solvenda laborabant; si discemus vim atomicam ad usus humanos adhibere, quantulum temporis sit ad eosdem necessarium, nondum est palam. Sic tandem ad medullam hujus argumenti pervenimus.

Prout horae laboris diminuentur, ita augebitur otium. Illud me valde sollicitat: ad quos usus id homines adhibituri sint, nam in eo latent semina simul exitii, simul illius bonae beataeque vitae quae veteres philosophos occupabat. Homo, ut verba Ovidii usurpem:

Nescit utro potius ruat, et ruere ardet utroque.

Vix quenquam latet, sive vix quisquam negat, vitam aliquo modo e formis esse evolutam simplicissimis, neque hoc sine Deo factum.

In reliqua disputatione doctissimus vir de spiritualibus progressus commodis agit; eoque progressu otium illud amplificabitur quo homini «copia animae augendae» dabitur. Difficultates in rerum publicarum administratione ac dispensatione, quas progressus excitare poterit, praesertim vi atomica applicata, impensio omnium labore, apte, opitulante Deo, solventur sicut et aliae sociales difficultates rite a Summis Pontificibus aliisque sunt solutae quin ad communismum curramus, qui nunc tandem, ex quibusdam signis, ut claro scriptori videtur, tascere incipit. Ideo non dubitandum quin fide corroborati triumphum de hoste reportemus.

Cl. scriptor lucubrationem hac ad filiam epistula absolvit:

Tata Patriciae filiae dilectissimae s. p. d.

Allata tua epistula, existimabam tibi quam primum respondendum. Haud invitus disco vos his disputationibus occupari. Est enim salutare. Paucis annis habenae rerum vobis mandabuntur, quas si excipietis, his eruditae sermonibus atque conscientiae, quot quantasque obices a pravis sceleratisque viris oppositas vobis diffingere necesse futurum sit, tanto satius. Ad hortos publicos me contuli ut tranquille responsum concoquerem. Forte advenit amicus cui maxime confido. Disputationem quam habuimus, postquam redii, commodum exscripsi. Eam tu et sodales tuae legitote et tu certiore me facito quid sentiatis. Sic autem habeto, si qua in me est philosophia sive sapientia, me semper paratum esse tibi dubitanti subvenire. Interim vos hortor, te tuasque amicas, ut vetere disciplina, historia, philosophia sapientiae veterum quas litterae Latinae comprehendunt, penitus erudiamini.

Ego profecto te multo senior sum. Multo jam mutata sunt. Idcirco te semper ducere non potero, verum si quid philosophiae tuae substruere possim, ut ad tranquillitatem quandam pervenias, id lubentissime faciam.

Vale.

Patricia Tatae dilectissimo.

Quam gratum fuerit responsum tuum, nescis. Ut semper, quam primum morem mihi gessisti. Isto allato, amicas convocavi atque id legimus et relegimus. Noctem disputando proveximus. Omnes in eadem stamus sententia, te nobis vel optime consuluisse. Cursum percurram. Si quid adversi veniat, id fortiter perpetiemur; si nihil adversi eveniat, tanto satius.

Omnes te jubent salvere. Vale.

**BONAMICUS ACTENSIS**

GOODWIN BEACH

# DE PATRIA E AMORE A PUD GRAECOS ET ROMANOS

Venit nunc mihi in mentem dicere quidpiam vobis legentibus quidem minime novum, mihi vero semper admiratione dignum: quid causae fuerit, cur jam inde a mundi fere primordiis optimus quisque pro patria mortem occubere non dubitarit. Homerus siquidem, poëtarum princeps hanc tenet sententiam:

τεθνάτω· οὐ οἱ ἀειχές ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης  
Non indecorum est defendant patrīam morī (*Il.* 15, 496).

Idem prorsus Tyrtaeus:

Τεθνάμεναι γάρ χαλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα  
Ἄνδρ' ἄγαδὸν, περὶ δὲ πατρίδοι μαρνάμενον.  
Pulcrum est mori in prima acie cadentem  
Vīrum fortēm, pro patria pugnantem.

(*Antholog. Poëtica*, auctore P. HALLOIX, Dauci, 1616, p. 840)

Et Horatius, qui, procul dubio, illos est imitatus:

Dulce et decorum est pro patria mori (*Od.* 3, 2, 13).

En tibi sententiam omnium consensu semper probatam; in illa enim cum fortitudine, jucunditas de palma certat. Quid enim vel fortius vel jucundius, quam nullum vitae discrimen recusare vitamque pro aris et focis —ut dicunt— strenue profundere? Sed quid causae, inquam, fuit, ut res ita se haberet?

## PATRIA COMMUNIS OMNIUM PARENTS

Ita orator Romanus (*Catil.* 1, 7, 17). Cui consonat Augustinus, cum ait patriam parentis loco nobis esse: «Ipsa denique civitas (agitur de terrena civitate, non de caelesti patria) quae parentis loco haberi solet» (*De Lib. Arb.* 1, 32). Et apud Hispanos in omnium ore est illa vulgata vox «Sursum, Hispania mater!»

Jam vero, consequens est, ut omni ratione et arte salutem patriae, quod ejus fieri possit, moliamur. Aristidi administranti rempublicam uxor dixit: «Utinam privatas quidem res putares esse publicas, et contra publicas, privatas. Et cum Seriphio cuidam, civitatis suae parvitas objiceretur: «Mihi quidem, dixit, patria dedecus est, tu vero patriae» (Apud STOBAEUM, Edit. Tigrina, MDXLIII, *Serm.* 37, pag. 231). «An sic es sapiens ut te latuerit et patri et matri et progenitoribus omnibus patriam esse anteponendam? ...ac sive

mandarit verberari te, sive in vincula conjici, sive in proelium miserit ad vulnera excipienda mortemque subeundam, oboediendum ei tanquam matri est omnino». Ita Plato in Critone (51), qui quam late pateat hic patriae amor et pulchre depingit et fusius.

Porro nemo unquam matrem —id est, patriam— mutam et elinguem reddere ullo pacto potuit. Haec Aeschylus, qui, licet tragodiam adhuc rudem et paene agrestem exornaverit, in litteris Graecis magnum sibi nomen comparavit (*Septem contra Thebas*, 5, 584):

μητρός τε πηγὴν τίς κατασβέσει δίκη;

Idcirco non potest cognatio ulla esse proprietor, quam patria, ita ut, si contentio quaedam et comparatio facienda sit, quibus plurimum tribuendum sit officii, Deus sit in primis, deinde principes, patria et parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus. Immo, «quoniam sunt omnia commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est» (Lege Cic. *De Offic. 1*, 17, 57 et 58).

Hic sensus amoris in patriam, quem Dante belle vocavit «la carità del natio loco» (*Infern. 14, 1*), causa fuit —ut mea fert opinio— illius desiderii arcendi hostes, qui adversus patriam bella quoquo modo possent inferre:

Adversus hostem aeterna auctoritas [esto]. (*Leg. XII Tab.*)

Cicero elegantissimis verbis hanc in patriam caritatem prosequitur: «Quo amore, inquit, inflammati esse debemus in ejus modi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? cuius primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet, quia est patria parens omnium nostrum...» (*De Orat. 1*, 44, 196). Cum omnia ratione animoque lustramur, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum patria est uni cuique nostrum. Cari, certe, sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complectitur, pro qua quis bonus nullo unquam tempore dubitat vitam cum morte commutare, si id usui patriae esse potest (Cf. Cic. *De Offic. 1*, 17, 57).

Et quo modo filius se gerere debet erga patrem si pater fana expilet, et cuniculos agat ad aerarium? Indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem erit, quin etiam patrem defendere debet, si arguatur. Non igitur patria praestat omnibus officiis? Immo vero, sed ipsi patriae conductit pios habere cives in parentes. Quid? si pater tamquam tyrannus patriam occupat, eamque prodere conatur, silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. Quod si «nihil proficiet — ait Cicero — accusabit patrem, minabitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris» (Vide *De Offic. 3*, 23, 90, ubi Tullius proprie rationes et argumenta non sua sed Hecatonis profert).

Praeclarum illud Hieroclis: Est, inquit, patria velut alter quidam Deus, et primus maximusque parens. Quare qui nomen ei imposuit a re ipsa, non

temere patriam nominavit, vocabulo quidem a patre deducto, pronuntiato tamen femina terminatione, ut ex utroque parente mixtum esset. Atque haec ratio insinuat patriam unam ex aequo ut utrumque parentem colendam esse (Cf. STOB. Serm. 37). Et Laco in bello captus, cum sub hasta veniret ac praeco diceret «Laconem vendo», obturavit illi os, «Captivum, inquit, praedica te vendere». Suam condicionem aequo animo tulit, patriae ignominiam ferre non potuit in auctione traducendam. Ac profecto commune patriae solum carum est, et jucundum et delectabile. Unde illud dictum, quod jam in proverbium abiit: «Patriae memoria dulcis».

Demosthenes, cum ab Areopagitis damnatus, elapsus carcere fugeret, et haud procul ab urbe obvios habuisse aliquot diversae factionis homines, primum abdere sese voluit, sed cum illi nominatim Demosthenem appellantes, juberent esse bono animo, et viaticum insuper offerrent, graviter ingemuit, dicens: «Qui possum hanc urbem relinquere, in qua tales habeo inimicos, quales amicos vix in alia inventurus?» Hinc versus Ovidii:

Nescio qua natale solum dulcedine captos  
Dicit et immemores non sinit esse sui.  
Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?  
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.  
Cum bene sit clausae cavea Pandione natae,  
Nititur in silvas illa redire suas:  
Assuetos tauri saltus, assueta leones  
—Nec feritas illos impedit—antra petunt. (*Ep. ex Pont. 1, 3, 25-42*).

Jam vero, si patria communis est omnium parens, amor inde nasceretur in eam, adeo ut

#### NEFAS SIT IRASCI PATRIAEE

Pythagoras, interrogatus quo modo oporteat se gerere erga patriam ingratam: Ut erga matrem, respondit. Et Solon, postquam vidi rerum summam esse penes Pisistratum, arma deposita ante curiam, dicens: «O patria, tibi et dictis et factis sum opitulatus». Hoc pacto, testatus sibi non defuisse voluntatem consulendi Reipublicae, in Aegyptum navigavit (Cf. DIOG. LAERT. lib. I, *Plut. in Solon.*). Amor enim in patriam immensus esse solet:

Rursus amor patriae, ratione valentior omni,  
Quod tua texuerunt scripta, retexit opus. (OVID. *Ep. ex Pont. 1, 3, 29-30*)

Cum Aristides ab Atheniensibus mitteretur in exilium, sublatis in caelum manibus Deum comprecatus, ut sic res Atheniensium prosperaret, ut illis Aristides numquam veniret in mentem. Tanta fuit in viro isto pietas in patriam, cui etiam post dira sua fata incolumitatem precabatur. Et Timotheus imperator, cum audisset unum ex collegis dicentem: «An putas, o Timothee,

gratam nobis futuram patriam?» — «Modo nos, respondit, patriae dignas referre gratias queamus» (Vide STOB. Serm. 37, ex PLAT. Critone, 52).

Grato semper animo erga patriam debet esse vir bonus, quod nulla unquam foedior culpa sit quam patriae succensere, juxta illud:

Jamque hoc — ne dubites — longaevi, nate, parentis  
Accipe, et aeterno fixum sub pectore serva:  
Succensere nefas patriae; nec foedior ulla  
Culpa sub extremas fertur mortalibus umbras.  
Sic docuere senes.

(SILV. ITAL. 7, 553-557)

Ast nemo patriam, quia magna est, amat, sed quia sua. Ac proinde est quod Ulysses ad Ithacae suae saxa sic properabat, quemadmodum Agamemnon ad Mycenarum nobiles muros (Cf. SENEC. Epist. 66, 27). Idipsum tetigit Cicero: Nos id, quod maxime debet, patria nostra delectat, cuius rei tanta est vis, tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir (scil. Ulixes) immortalitati anteponeret». (*De Orat.*, 1, 44, 196). Et Sertorius saepe victor, ad Pompejum Metellumque misit, offerens se paratum redire in urbem, si sibi permitteretur; dixitque malle se Romae ignobilissimum civem, quam exulem omnium aliarum civitatum imperatorem nominari (Vide PLUT., *Sertor.*).

Quibus consonat Homerus cum dicit nihil esse patria dulcissus, licet aliquis procul a suis, in longinquis terris, domos habeat opulentas:

Εἰς οἰωνός ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. (Il. XII, 243)  
"Ως οὐδὲν γλύκιον ἡς πατρίδος οὐδὲ τοκήων  
Γίγνεται, εἴπερ καὶ τις ἀπόσπροδι πίονα οίκον  
Γαῖῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων. (Odys. 9, 34-36)

Quanta sit autem amoris hujus vis, vel hoc indicio licebit utcumque cognoscere, quod apud poetas Graecos haud raro legimus, non solis nimis hominibus caram usque patriam fuisse, sed amorem quoque aliquem ferarum cordibus instillatum esse:

Οὐχ ἄρα τοι μούνοισι φίλη πάτρη μερόπεσσι·  
καὶ βαλιῶν δὲ πόθος τις ἐνέστακται φρεσὶ θηριῶν.  
(OPPIAN. *De Venat.* 2, 313-314)

Sed antequam ultra progredior, non possum quin tibi, lector, ob oculos ponam duo exempla praeclarissima, quae luculenter innuunt quantum apud veteres ejusmodi patriae amor viguerit. Prius nobis suppeditat Valerius Maximus (5, 6, 2). Thrasibus cum vellet parva manu triginta Atheniensem tyrannos confodere, dicenti cuidam, quantas Athenae libertatem assecutae gratias illi essent habiturae: «Dit, inquit, faxint, ut quantas ipse illis debeo, videar rettulisse». Alterum exemplum attrulit idem Val. Maximus (3, 7, 2): Rex Thraciae, ubi cognovit Athenienses honoris gratia civem ipsum suae ci-

vitatis declarasse, pro auxilio, quod illis adversus Dorienses impenderat, gratiam reponere studentes: «Per Jovem, inquit, et ego illis vicissim meae gentis jus dabo». Sentiens, nihilominus honorificum esse, Thracem, quam Atheniensem appellari.

#### PATRIAE AMOR AD MORTEM USQUE VIRUM BONUM DUCERE SOLET

Lacaena, cum filium in proelium misisset, et interfectum audivisset: «Idcirco, inquit, genueram, ut esset qui pro patria mortem non dubitaret occubere». Ita Cicero (*Tusc.* 1, 42, 102). Plutarchus autem narrat Lacaenam quandam filios habuisse quinque. Haec mulier —plane fortis— filios in bellum emissos, ante suburbium stabat exspectans, quis esset belli exitus. Et accessit quispiam nuntians, filios illius omnes occubuisse: «Non istud, inquit, percontabar, ignavum mancipium, sed quid ageret patria?». Is cum respondisset a patria stetisse victoriam: «Libenter igitur, ait, accipio filiorum interitum». Egregia mulier, privatum in liberos affectum publicae in patriam pietati posthabuit (PLUT. *Apotheg. Lacon.* Edit. Londini. 1741, p. 89).

Hoc est quod dicebam, amorem patriae ad ipsam vitam profundendam impellere, si sit ei profuturum (Cf. CIC. *Offic.* 1, 17, 57). Ad rem poëta:

Nec femina cessat  
Mente aequare viros et laudis poscere partem.  
Omnis, prae sese portans capitisque manusque  
Antiquum decus ac derepta monilia collo,  
Certatim matrona ruit belloque ministrant.

(SILV. ITAL. 12, 306-310)

Et alibi de Scaevola:

Stabat cum primis mediae certamine pugnae,  
Aspera semper amans et par culcumque periclo  
Scaevola; nec tanta vitam jam strage volebat,  
Sed dignum proavo letum et sub nomine mortem.  
Is postquam frangi res atque augescere vidit  
Exitium, Brevis hoc vitae, quodcumque relictum,  
Extendamus, ait.

(9, 370-376. Cf. et 12, 314, sqq.)

Sic, unum augurium praestantissimum pugnare pro patria, et si mori contingat, dulce prorsus erit interitus: HOMERUS (*Il.* 12. 243):

Εἰς οἴωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Ad finem proprio. Sed tamen piaculum foret tacere exempla pulcherri-  
ma, quibus clare apparet hanc mentem veterum circa amorem patriae non  
verbo sed re apud illos viguisse et factis re vera praestitisse. Cum ad Ther-  
mopylas Leonidas proficeretur cum Persis conflictaturus, uxori Gorgoni  
roganti, si quid ipsi mandaret? «Ut bonis, inquit nubas, bonosque liberos

parias». Quae quidem vox testabatur, illum animo praesagisse interitum, nec hac praesensione deterritus est ab expeditione, pulcherrimum esse dicens, pro patria pugnantem occubere.

Aliud denique subnecto simile: Brasidas —auctore Plutarcho op. mem.— contra Ephoros bellum patriae nomine cum susciperet, civibus hunc in modum scripsit: «Quicquid malorum erit in bello profligabo, aut pro patria moriar». Verum cum multa jam egregia facinora pro patria edidisset, et Graecos Thraciam incolentes liberasset, fortiter occubuit. Cujus deinde mors cum Archileonidae matri nuntiaretur, interrogavit nihil prius, quam: «An fortiter filius occubuisset? Thracibus autem ejus virtutem laudantibus, ejus mortem non tantum aequo animo tulit, sed probavit etiam, quia pro salute patriae interfectus esset. «Vincet —profecto— amor patriae laudumque immensa cupido» (VERG. *Aen.* 6, 824).

Haec de patria fortiter defendenda sufficient. Alia sunt, apud Graecos praesertim, quae intexere hic abstineo, quod idem fere complecti videantur. Unum tantum proferam votum: utinam hic patriae amor apud nos et vigeat et floreat, ut nobis illud contingat, quod apud Graecos et Romanos evenire constat. «Caritas patriae per omnes ordines velut tenore uno, pertinebat» (LIV. 23, 49, 2).

LEO M.<sup>a</sup> SANSEGUNDO, OSB.

# NOVA ET VETERA

## METEOROLOGIA

1. Et quidquam, in hac sectione, de *meteorologia* modo juvat perstringere. Verbum hoc compositum recentisque certe signi, quod tanquam de *meteori*s scientiam vel notitiam sonat. «*Meteorum*» vero (a Graeco μετέωρος) Latinis significat sublime ac suspensum, nempe in aëre; Graecis autem *phasma*, id est apparens; cum id, quod videtur esse, magnam partem non sit: quasi mixtum est imperfectum ex elementis, idque ortum et conflatum e vapore aut halitu, plus minusve crasso, calido, spiso, cet.

*Meteorum* quidem quodlibet phaenomenum atmosphericum nuncupari solet: aérium, aquosum, luminosum vel electricum. Exempli gratia: ventus, pluvia, arcus pluvius vel iris, fulgur.


Jam vero in nostrorum temporum scientia, metereologia pars physices habetur, de meteori disserens. Maximi hodie est momenti, in primis vero ad faciliorem cum navigationem marinam tum aëriam reddendam. Quae quidem scientia, sicut ceterae naturales, pluribus utitur, sapientium ingeniis effectis, instrumentis: quae opem hominum labori atque perspicacitati afferant.

Sunt, inter alios, apparatus metereologici: Anemometrum, anemoscopium, barographum, barometrum, baroscopium, barothermographium, hygrometrum, hygroscopium, manometrum, sismographum, sismometrum, spectrographium, spectroscopium, thermometrum, thermoscopium.

Adjuncta porro in tabula picta non nulla ad metereologiae scientiam pertinentia, cum nomenclatura Latina Hispanica, habes:

|   |  |
|---|--|
| 1 <i>Arco iris, iris, is</i> (idis)     | 5 <i>Terremoto, terrae motus, us</i>   |
| 2 <i>Pararrayo, fulmínivorum</i>        | 6 <i>Halo, halos, o</i> (gr.)          |
| 3 <i>Turbión, turbo, inis</i> (aquaee)  | 7 <i>Aurora polar, aurora borealis</i> |
| 4 <i>Gobierna, ventorum index, icis</i> |  |

2. Praecipua sane meteora sunt ignea vel aëria, quae in amplissimis aëris plagiis nostris oculis commonstrantur. Verum propria sunt partium caeli



quattuor. En aliquorum nomina: fulgura vel fulgetra, fulmina, fatui ignes, stellae cadentes et comantes, coruscationes, chasmata, cet.

Aēris vero natura his lepide verbis a claro viro M. Pexenfelder contrahitur (*Apparatus Eruditionis*, pag. 17):

«Aēr agitatur perpetim ob tenuitatem, mobilitatemque insitam, idque valde utiliter ob vegetationem rerum; pellucidus est, radios solares temperans, ubique se ingerens. Ejus status et flatus sunt diversi; si calescit, tum rarescit, et dilatat se extra se; cum frigescit, tum spissescit, et contorquet se intra se: nescit etiam quietus stare, etsi videatur; commotus flat, nunc lenius, nunc vehementius; flabello ventilatur; efflatus oris angusti motu, refrigerat; emissus diducto, calefacit; conclusus, crassescit, et putrescit; idem ob periculum (metum) vacui facit, ut ascendant gravia».

3. Vel ipso in imo terrae sinu meteora influere videntur: unde formidolosi illi terrae motus, qui et oppida solo aequant. Quasi excussio est superficie terrae luxationibus ejus modi corticis vel vulcaniis eruptionibus debita. Lingua quidem technica hodierna dicitur «sismus» vel «seismus». Itaque apparatus vel instrumenta quae eos detegunt sismographa nuncupantur. Pars vero scientiae geologicae quae iisdem studet, est sismologia. Seismus qui in profundo mari oritur quique magnos aquarum motus excitat, est maris motus (hispanice «maremoto»). Punctum denique orbis terrarum ubi seismus oritur, epicentrum dici apud sapientes consuevit.

Sed haec hactenus. En tibi phraseologiam de re praecipuam:

Aēr terrae circumjectus: atmósfera.

Suspicere (in) caelum: levantar los ojos al cielo.

Sub divo: a la inclemencia del tiempo.

- Orbis finiens: *horizonte*.  
 Natura caeli: *clima*.  
 Salubritas caeli: *clima sano*.  
 Gravitas caeli: *clima insalubre*.  
 Temperatio caeli: *clima templado*.  
 Asperitas caeli: *clima frío*.  
 Varietas caeli: *clima variable*.  
 Caelestia: *fenómenos celestes*.  
 Sol oritur, occidit: *sale el sol, se pone el sol*.  
 Ortus, occasus solis: *nacimiento, puesta del sol*.  
 Sol deficit: *el sol se eclipsa*.  
 Lunae defectio: *eclipse de luna*.  
 Luna crescit, decrescit: *la luna crece, decrece*.  
 Caelum astris distinctum et ornatum: *cielo estrellado*.  
 Nox sideribus illustris: *noche estrellada*.  
 Stellae errantes: *planetas*.  
 Stellae inerrantes: *estrellas fijas*.  
 Orbis lacteus: *la vía láctea*.  
 Orbis signifer: *el zodiaco*.  
 Cardo caeli: *el polo*.  
 Vocis imago: *eco*.  
 Ventus remittit: *el viento se calma*.  
 Ventus cadit: *cesa el viento*.  
 Ventis secundis, adversis uti: *tener vientos favorables, contrarios*.  
 Ventus se vertit in Americam: *se gira el viento hacia América*.  
 Tempestas cooritur: *se levanta una tempestad*.  
 Imber tenet: *dura la lluvia*.  
 Tempestatem idoneam nancisci: *tener buen tiempo*.  
 Calor se frangit: *el calor disminuye*.  
 Sol ardet, urit: *pica el sol*.  
 Ardore solis torreri: *quedan tostado del sol*.  
 Frigore torpere: *estar transido de frío*.  
 Caelum tonitru contremit: *está tronando*.  
 Fulmina micant: *relampaguea*.  
 Fulmine ici, tangi: *ser alcanzado por un rayo*.  
 Inter fulmina et tonitrua: *en medio de truenos y rayos*.  
 Eruptiones ignium Aetnaeorum: *la erupción del Etna*.  
 Vesuvius evomit ignes: *el Vesubio vomita llamas*.  
 Pluet hodie: *lloverá hoy*.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

# CURSUS GYMNASTICUS

O NAVIS, REFERENT IN MARE TE NOVI

(HOR., Carm., 1, 14)

*¡Oh nave! ¿quién te vuelve al mar airado?  
¡A toda prisa al puerto! ¿Qué? ¿no miras  
desnudo de remeros tu costado,  
tus entenas gimiendo, y con las iras  
del ábreco tu mástil malherido?  
¿Y dónde los cordajes  
que el casco resentido  
salven de los furentes oleajes?*

*Velas te faltan, y ni dioses tienes  
de quien en otro azar valerte puedas;  
y aunque del Ponto vienes,  
hija de linajudas arboledas,  
en vano de tu alcurnia haces alarde,  
que una pintada popa no es aliento  
para el nauta cobarde.  
¡Ay, no llegue a burlar contigo el viento!*

*Tú que el objeto de mi angustia fuiste,  
y hoy lo eres de mis ansias suplicantes,  
evita el mar que embiste  
los bajos de las Cícladas radiantes.*

A. ESPINOSA, S. J.

(*Lírica Horaciana*, p. 46, Quito, 1953)

Carminis argumentum

Horatius Romanam rem publicam quasi inornatam navem fluctibus et aquilonibus undique concussam allegorice depingit; ipse Quintilianus hoc

carmen habuit allegoricum et rem metaphoricam ad physicam referens normam proposuit: «totusque ille Horatii locus, quo navem pro re publica, fluctus et tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit». (*Inst. Or.*, 8, 6, 44).

Sub hac allegoriae specie patriae pericula verissimis et instantissimis imaginibus poëta praedicit atque ominatur: mare extra portum iterum fremit (1-4). Navis a portu audacter discedere poterit? Nullo modo, quoniam remis exspoliatur (3-4) et ubique vehementis procellae signa ostendit (5-9). Sed praeterea navis ventis vexata atque opibus destituta, deorum protectione omnino indiget (10); his adjunctis nauta terrore concussus neque nobilitate neque pristina ostentatione temere confidere potest (11-15), nam ventis ludi-brium necessario esset (15-16). Horatius hujus modi obsecratione utitur: Periculum desere, saltem mea causa, nam fidelis curae ac desiderii tui sum imago (17-20).

Nec Horatius praeterire potest tanta studia spemque tantam fugaci turbulenti maris spuma submergi.

#### V. 1-4. FORTITER OCCUPA PORTUM!

Horatius inspectat navem, portum tandem occupantem post diram procellam quae eam gravi affecit detimento; navem conspicit animo benigno —se enim custodem tutoremque reipublicae habet— et urgentia mandata dat ut cautior in futurum et circumspectior sit, ac dum fluctus navem in altum evehere contendunt, quasi in portu retinere volens sic illam alloquitur:

O navis, referent in mare te novi  
Fluctus! O quid agis? fortiter occupa  
Portum. Nonne vides ut  
Nudum remigio latus?

**Referente:** verbum exclamativum et tempus futurum ad urgendam et exprimendam semel atque iterum anxietatem quae poëtae animum opprimit, propter calamitatem navigio imminentem. Orationis complementum (*te* = monosyllabum), a verbo «referent» dissociatum, magnopere confert ad ponderandam lugendam fortunam quae navi imminet.

**Novi fluctus:** nempe novum bellum. Nec temere neque fortuito accidit ut adjективum sit a substantivo disjunctum, sed consulto ut undarum prolabentium motum retortum et involventem exprimat.

**Fortiter occupa:** hic Horatio navem, quasi portum occupantem, videre placet, at... ennovi fluctus illam in altum quasi retrahentes; hinc pavor et clamor: «o quid agis?», et confessim inclamat: «fortiter occupa»; «fortiter» in poëtae mentem navis casum revocat gravissimum, deinde «occupa» i. e. cura, operam da, contendere occupare: jussum imperiosum extremumque.

**Vides:** sensum potentiale habet: «videre potes»; ad «latus... nudum» In primis refertur sed etiam quodammodo ad «gemant» (malus, antemnae): Itaque «synaesthesia», figuram saepius hodierno tempore usitatam, quamvis apud ipsos Latinos scriptores hic dicendi modus non desit, habemus; sic Vergilius: «dulcia linquimus arva» (*Buc.* 1, 3) i. e. dulcis pro amoenis.

**Nudum latus:** nudum «sit remis» latus; quia destructi sunt violenta tempestate transacta. Disjunctio adjektivi a nomine ad significandam navis egestatem adhibetur.

## V. 5-8. AC SINE FUNIBUS...

Horatius solidis ac firmis argumentis navem increpat: malo saucio Africo, antemnis gementibus, mari inquieto, navis vix se sustinere poterit; quae omnia Horatius in miserandam navem vehementius exprobrat:

Et malus celeri saucius Africo  
Antemnaeque gemant, ac sine funibus  
Vix durare carinae  
Possint imperiosius  
Aequor?...

**Malus celeri saucius Africo:** verborum ordo notandus est: primum nomen «malus» erectus ac fortis; deinde adjetivum «celeri» quod ei syntaxice opponitur; alterum adjetivum «saucius» duplici verborum vi (*celeri... Africo*) quasi constrictum. Haec verborum singularis collocatio, ad feroce aquilonis impetum in malum exprimendum non parum refert.

**Gemant:** verbum metaphoricum ad navis casum significandum aptum. Horatius ut crepitum gemitumque vividiorem, aquilone certante, repreäsentet, antemnis maloque quasi sentiendi facultatem tribuit.

**Funibus:** antiqui funibus utebantur quibus carina, fluctibus afflita, extremum devitaret periculum; sicutque «Acta Apostolorum» hujus adjumenti mentionem faciunt: «Qua sublata (scapha) adjutoriis utebantur accingentes navem...» (27, 17). Quod etiam apud S. Isidorum (*Etym. 18, 4, 4*); legimus «funis in navibus longus, qui a prora ad puppim extenditur, quo magis adstringantur».

**Carinae:** pluralis pro singulari poëtice sumptus ad designandam navem.

**Imperiosius:** adjetivum comparativum termino comparato carens; mare valde agitatum atque turbatum significat

## V. 9-12. QUAMVIS PONTICA PINUS

Adde quod praeter mare impetum in navem faciens non sunt ei remi, neque funes neque velamina neque di in primis ei faventes. Haec navis adjumentis nauticis ad navigandum destituta, quamvis ex pontica pino procedens, periculo certo succumbet...

...Non tibi sunt integra linta,  
Non di, quos iterum pressa voces malo  
Quamvis Pontica pinus,  
Silvae filia nobilis,

**Non non:** particula «ut» incipit superius enumerationem calamitatum quae in navem irruent; particula vero «non» sensu negativo continuat atque exponit.

**Di:** di navis tutores, quorum imagines in navis puppibus apponebantur. Sine dubio Horatius asserit navem deorum patrocínio indigere cum procella imagines diripuerit, ideoque nauta quos deos oret, nescit.

**Iterum pressa:** homo, quem scelerum pertaesum est, benignè excipitur; at qui eadem iterum facinora commiserit misericordia et adjumento quasi indignus efficitur; ideoque Horatius alio loco, qui ad bellī civilis calamitates spectat, ita conqueritur: «Quem vocet divum populus ruentis / Imperi rebus?... / Cui dabit partes scelus explandi / Juppiter?» (*Carm. 1, 2, 25*).

**Pontica pinus:** Pontus quam plurimis abundat silvis, quarum pinii ad naves conficiendas erant aptissimae; praecipue in montana regione a Sinope usque ad Bithyniam patebant. In libro X Aeneidos (230), Nymphae in naves permutatae, agnoscent Idae nemora ut locum originis: «nos sumus Idae sacro de vertice pinus».

### V. 13-16. NISI VENTIS DEBES LUDIBRIUM...

Quae cum ita sint, navis fugiat (=vitet) periculum; juxta A. L. Senecam navis consideranda est bona quae, non bene picta, sed a dis protecta, cuius nautae ornatu jure diffidunt, nam venti super aequora tyrannice imperant.

Jactes et genus et nomen inutile  
Nil pictis timidus navita puppibus  
Fidit. Tu, nisi ventis  
Debes ludibrium, cave.

**Et genus et nomen:** i. e. «famoso origen» (hendiadys). Ab imminentि calamitate neque stirps neque nomen te, o navis, eripiet. Notanda duplicitas particulae «et» repetitio. Quam inanis enim est spes tua!

**Pictis:** Romani variis coloribus navium puppes exornabant; at ruber' color erat valde usitatus. Nihilominus, ut ait Seneca cum Horatio conveniens, «navis bona dicitur non quae pretiosis coloribus picta est nec cuius tutela ebore caelata est...» sed quae firmior est et securior.

**Nil pictis timidus navita puppibus fudit:** Notemus adjektivum «pictis» interposito orationis subjeto, a nomine «puppibus» disjungi: quae disjunctio non nihil conferre videtur ad inutilitatem navis rite tantum depictae commonstrandam.

**Debes ludibrium:** constructio Graeca; sensus est: «si no quieres ser ludibrio del viento». Latine alio modo sensus sic exprimi potest: «ut tributum quod necessario vento solvi deberet...»

### V. 17-20. NUNC DESIDERIUM CURAQUE NON LEVIS

Poëta vehementi exhortatione carmini finem imponit. Horatius in re publica ejusque commoditatibus maximum otium pacisque donum constituit. Et ideo sollicitus est, sibique —cujus animus usque tunc inquietus erat— pergratum ait periculo ereptam considerare:

Nuper sollicitum quae mihi taedium,  
Nunc desiderium curaque non levis,  
Interfussa nitentes  
Vites aequora Cycladas.

**Nuper:** Per annos nempe qui pugnam Philippensem subsequuntur, luctuosos atque bellis intestinis agitatos. Adverbium extensio talis est ut optime ad praeteritum quamvis remotum referatur: «ut nuper actus, freto Neptunius / Dux fugit ustis navibus» (*Epop. 9, 7*); quo loco Horatius casum Sexti Pompeji —qui ironice appellatur «Neptunius dux»— ad Naulochum profligati, et paulo post in Phrygia mortui memorat. Cicero vero (cfr. *In Verr. 2, 4, 6*) distinguit inter: «nuper» (*recentemente*), «modo» (*poco ha*), «paulo ante» (*ahora mismo*).

**Sollicitum:** verte: «inquietante tedio (zozobra)». Poëta id sine dubio refert ad aliquid infortunatum in mente adhuc affixum quae certo est pugna ad Philippis commissa.

**Interfusa nitentes vites aequora cycladas:** verborum ordo aliquantulum retortus, veluti mare ipsum. Praeponuntur adjektiva, subsequuntur substantiva, medium verbum (*vites*) stat;

perfecta est relatio; verbum in medio manet dupliciti perpenso periculo quasi index imperiosus praecipiens: *Vita pericula* (= vites)!

**Nitentes:** ita «Cyclades» appellantur, quarum marmora e praerupto profundoque sinu solis radios reflectunt; «Paros» vocatur a Vergilio «nivea», albo marmore singularis; «Donusa» virtus conspicienda dicitur.

**Cycladas:** appellantur quia «quasi in circulum dispositae sunt circa Delum: quam, antea vagam, post Latonae vero partum uni affixam loco, circumcingunt et quasi revinciunt» (RUAEUS, I, p. 264, not. 74); quae insulae in Aegaeo mari «sparsae» vel «interfusae» navibus instar sirenium scopuli erant.

THOMAS MARTÍNEZ, C. M. F.

## B E A T A N O X

*Flosculum vitae peperit Maria.  
Mater est Christi, remanetque Virgo!  
Nox Dei celans Genitum serena:  
ecce beat!*

*Angeli caelum remeant volatu  
gloriae signum citharis canentes,  
pace dum sancta fruitura in orbe  
omnia dicunt.*

*Pastor exaudi veniae et salutis  
canticum sacrum veniens ab alto;  
oppidum Bethlem pete nunc opertum  
alite multo.*

*Angelis tandem sociatus almis,  
pastor, o Jesu, properanter ibo  
dona qui portem numeris retexta,  
carmina parva!*

J. FÁBREGAS

*in Seminario Minore Barcinonensi Prof.*

*Montehilarí*



# F R A T E R H O M O <sup>(1)</sup>

(Calvum montis supercillum immobilibus nigrisque pinis circundatum exsurgit. Tam candida fulget luna ut nonnullae tantum stellae, quae sunt in adversa caeli parte, timide micare audeant. Immane saxum formam in niveo aequore adumbrat. In nive autem plura eaque brevia notantur vestigia. Candido frigidoque lumine perfusa, ilex super spinosa folia nives cumulatim ostendit, cupediarum instar quas alcui commodaret emptori. Nonnullae juxta ilicem bestiae concilium habent; duae capreae, lupus, pinguis cuniculus cum omni sua novissimi partus prole parata, ursus cui pellis est fusca, alterque cuniculus rubea et alba pelle sed valde sordidus ac vix ossibus haerens).

**PINGUIS CUNICULUS CUNICULO LANGUENTI.** — Huc infra in agris qui urbi adjacent, omnes nos tua fuga magnopere laetati sumus. Uxor quoque mea te convenire voluisse; misera autem illa denuo parturit... Magna mihi familia, amice... (*suspirat*); quod ad tuam cutem spectat... videtur fortuna tibi apud homines commoranti non bene vertisse. Adeo viribus defectus et exilis ad nos revertis...

**CUNICULUS LANGUENS.** — Itinera et pericula eo miseriae me adduxerunt! Matritum enim a montibus multum abest... et ipse quam plurima incommoda in via pertuli. Non cibus quidem, mihi credite, in urbe deerat. In avidam alvum condidi res quas minime degustabitis qui in nulla umquam cohorte fuistis.

**CUNICULUS PINGUIS (*labra lambens*).** — At ego audivi in cohortibus lautissimos cibos edi!

**LUPUS.** — Illico e sapore carnis patet quae animalia in cohortibus sint enutrita. Homines, quod faciunt, id probe sciunt!

**URSUS.** — Ita, nisi fallor, verum est. In montibus multum, in primis tempore nivali, famis subeundum. Nullibi autem meliore ratione quam in montibus vivitur!

**CUNICULUS PINGUIS.** — Arvorum viciniam peropportunam duco, praesertim cum tanta, ut a me, proles sustentari debeat. Minoris plane licentiae copia est; sed hujus modi loca brassicis scatent filiique robustiores aluntur. Mansurusne es in montibus apud nos?

**CUNICULUS LANGUENS.** — Ita est. Homines horreo!

**CERVI (*trementes*).** — Homines terrible genus!

**LUPUS.** — Haud stulte rem judicemus. Ego quondam hominem voravi qui sardinam sapiebat. Cum vero congruenter rationi nutriuntur, exquisitus simus sunt cibus.

---

(1) Narración intercalada en la estancia V de «El Bosque Animado» de Wenceslao Fernández Flórez.

**URSUS.** — Si nihil aliud atque trucidare facerent, illis fortasse a nobis id ignoscendum. At illi aliquid pejus efficiunt: in vilissimam condicionem nos demittunt. Quemdam e meis fratribus, qui in eorum potestatem venerat, tympanum pulsare manumque ad stipem porrigerere coegerunt. Tandem aufugit, sed adeo perditis erat moribus ut cum hominem videret post eum porrecta manu curreret; ubi a vita recessit, in ejus spelunca octo aureos in nummulos divisos invenimus. Certe ille nobis opprobrio fuit!

**CUNICULUS LANGUENS.** — Et ipse in urbe equos vidi petasatos.

**URSUS.** — Ridiculum est! Omnia in mala vertunt homines, omnia in mala vertunt!

Cuniculi continuis saltibus altius a nive se tollunt, sese mutuo —arrectis caudulis— insequentes et tamquam umbrae globuli in splendentí atque candenti aequore luxuriantes. Subsultim in tenebras, quibus saxum partem illam nemoris nudam arboribus contegit, ingrediuntur. Aliqua interposita mora, ad lucem subito redeunt currentesque celeriter ad illicem configiunt; unus e cuniculis pedes ad ramum offendit et in terram, stridulam vocem edens, incidit.

**LUPUS (*prolem gulose conspiciens*).** — Quam lepida est infantia! Quam venustae hae animulae! (*Cuniculum qui cecidit pelliciens*) Aliquod detrimentum acceperisti, prandiolum meum?

**CUNICULI CATULUS.** — En hominem!! En hominem!!

**LUPUS.** — Adeo sunt delicati! Ob levissimam offensionem jamjam delirat! (*patrem cuniculorum alloquitur*). Timeo ne non ad aliquid tibi inservire possit catulus iste. Eum edere possumus!

**CETERI CATULI.** — En hominem! Vidimus hominem (*Omnes bestiae subito torrentur. Cervi ad immobiles pinos confungiunt. Ilicis umbra tuetur perterrita animalia. Lopus demum requirit:*)

**LUPUS.** — Ubinam homo est?

**QUIDAM CUNICULUS.** — Ad saxi pedes... supra nivem!

**CETERI CUNICULI.** — Supra nivem jacet!

**LUPUS.** — Ergo mortuus est?

**CUNICULUS QUIDAM.** — Ita plane mortuus!

**ALIUS CUNICULUS.** — Mortuum nego!

**ALIUS QVIS.** — Mortuum affirmo!

(*Lopus quodam per nemus circuitu, tacito pede, perit. Paulo post ceteri omnes ululatu accessuntur. Et cuniculi et ursus lupi persecuntur vestigia intenti ad ejus oculos velut ad duas flammulas in umbram immissas. Tenebrae, quae e loco quem luce imbuit luna, tam opacae ac taetrae videntur, paulatim mitigantur simul atque in eas introferunt animantia quae mirabilis ac suavi claritate profunduntur. Et rupes et nigrum sine foliis spinetum et erectae arborum trabes e nive surgunt. Lopus constitit juxta hominis corpus in frigido solo jacentis. Lento gradu homini appropinquat ursus, quem principio cuniculus languens, deinde cuniculus pinguis, post tremo una instructa serie septem albi rostris cuniculi subsequuntur. Ubi constitit ursus, catuli, tremulis rostrorum pilis arrectis, uno corporis motu in eundem locum ad tam miram rem*

contemplandam animos oculosque convertunt; catuli enim in summam rei exspectationem adducuntur).

URSUS. — Nonne igitur mortuus est?

LUPUS. — Minime mortuus. Tamen ne primam quidem lucem miser videbit. Frigore membra ejus rigescunt. Mihi videtur a summo saxo, nisi fallor, hic homo decidisse et animus illum in nive reliquisse. Si jugulo hominem, non parvam ei do gratiam. Mihi autem credo sodales arcessendos.

URSUS. — Estne hic venator?

LUPUS. — Enimvero dico: sane venator est!

CUNICULUS PINGUIS. — Quid nobis ergo faciendum?

LUPUS. — Quid nobis faciendum? Haec vere cuniculo digna interrogatio est. Interficiemus eum! Nonne id tibi, mi bone urse, optimum factu videtur?

URSUS. — Ita plane; hominem trucidare debemus: est enim venator.

CUNICULUS LANGUENS. — (*qua maxima est cum hominibus consuetudine proprius accedit*) Sed... pro sancte Deus! dominus Emmanuel est!

URSUS. — Quisnam est dominus Emmanuel?

CUNICULUS LANGUENS. — Erus meus novissimus; qui erus Matriti mihi erat! Probe eum agnosco.

LUPUS. — Itaque majore animi delectatione hominem vorare possumus. Nos oportet eum nunc edere. Resipiscere potest et sclopetum apud se habet.

CUNICULUS LANGUENS. — Id minime sclopetum.

URSUS. — Potius videtur lancea.

CUNICULUS LANGUENS. — Nec lanceam recte dicis. Est contus alpicus: baculus nempe ferratus quo utuntur montium lustratores. Erus meus numquam venatus est.

LUPUS. — Oho...! Non credo fore ut haec res corda nostra tangat. Si cuniculus iste suam appetit partem, statim suam partem habebit.

CUNICULUS LANGUENS. — Iterum vobis assero venatorem non esse. Quo pacto eum interficere vultis? Hic homo, ut et amicus ursus et amicus lupus et ipse ego, amore montium perit. Sabbatis veste aliquanto inusitata indutus, sicut ipsi videtis, sive sol erat sive nix, montes petebat qui longinqua cacumina lustraret. Domo, neminem ut interficeret, exibat neque umquam redditu suo praedam cruentatam attulit. Quod venatorem fugit, id contemplabatur: orientis vel occidentis solis pulchritudinem, mirabile visu saxum, venustam eamque admodum variam uniuscujusque arboris figuram; attento quoque ac tenero animo et venti et rivi strepitum percipiebat.

Quodam die erum meum enarrantem audivi se in rupe nive coniecta ante praeruptum saxum vidisse capream pulcherrimam quae in sublime erigebat caput dum supra caelum splendebat caeruleum, infra quoddam candidum mare nebula e valle ascendens simulabat. Neque in mentem ei, sicut in mentem alicui audientium venit, conqueri quod ad manus sclopetum non haberet ad pulcherrimae illius capreae tam gracilem vitam rescindendam.

**URSUS.** — Ipse vidi multoties hujusmodi homines montes laetissime condescentes et supra nivem deambulantes rigidissimis hiberni temporis tempestatibus... Quid causae est cur id homines faciant?

**CUNICULUS LANGUENS.** — Et ego scio et vos quoque sciretis, si vos, qualis eorum vivendi modus esset, non praeteriret. Evidem in montibus nego feram dignorem esse misericordia quam homines qui urbes incolunt. Namque urbs perpetuarum insidiarum, ubi quisque una simul praeda atque venator exstat, curam et angorem habet. Urbs quoque est quidam numquam intermissus strepitus, properatio, tumultus, edacitas, furor... Hominum in viis frequentia similis est bestiarum turbae quae silvam incensam effugient. Ibi aër crassus et pestilens, sol languidulus, aqua veneno infecta. Volucres et flores in carceribus sunt inclusi. Exiles arbusculae in testis ad viarum crepidinem educuntur ut in chiromaxiis paralytici et medium ante noctem domum reducuntur. Hominis urbani vita quasi aegre somniantis videtur. Urbs est quoque velut magna hominum cohors; idcirco non nulli homines, sicut ego, ex illa cohorte, quamvis ad exiguum tempus, aufugiunt. Sicut nos enim ipsi sentiunt quam necesse sit ad Terram matrem tam pulchram confugere; artificiosa atque fucata vitare; liberius et altius in culminibus respirare; per saltus vel rupes currere; inflexo ore aquam rivuli bibere, quae molliter animum permovet, quasi e vena Terrae, Terrae purum et almum sanguinem ebiberemus. Homines, ut ipsi fruimur, summo sensu ac voluptate simplicis Naturae frumentur. Deinde ad immundam cohortem suam revertuntur. Eorum igitur condicio communis nobiscum est. Qui hic jacet ignorans nos suam vitam ad sortem revocare, non est homo ferox omnium nostrum inimicus. Est... «Frater Homo», qui sicut nos e Terra genitus est quique eam more nostro diligit. Vitam ergo fratris observemus.

**LUPUS.** — Scitissima oratio! Dentes meos evelli patior, si cuniculus iste nervis vehementissime non excruciatur!

**URSUS.** — Tamen... praeclare quidem dixit... Homini qui ex urbe aufigit non secus atque fugienti quoque cuniculo opitulari debemus.

**LUPUS (*id aegre ferens*).** — Jure nostro feramus! Quae est spes a bestia quae in pulsando tympano ita acquiescit? Sed... cum haec pacis nox sit et majori parti id placeat, quid consilii capit is?

**URSUS.** — Me adjuva, quaeso, in ejus corpore valide confricando quo velocius resipiscat. Comprime vero unguis cogitans nos his tantum adjunctis hominem jure vocare fortasse posse fratrem. Id faciamus communi quo erga matrem Naturam amore devincimur.

M. MOLINA, C. M. F.

# COLLOQUIUM

## POST NUBILA PHOEBUS

Latine loqui est in magna laude ponendum.  
(Cic. Brut. 37, 140)

VALERIUS. — Unde hodie flat ventus,  
Nicolaë?

NICOLAUS. — Flat [venit, exit, oritur]  
ab occidente; [ab occasu solis; a  
septentrionibus]. Mihi videtur tem-  
pestatem minari [imminere, insta-  
re, impendere].

VALERIUS. — Sed quotuplex ventus  
esse potest? Magister hac de re a  
me quaesivit, et illi respondere  
nescivi.

CORNELIUS. — Tu nescis hoc? At res  
est in promptu. Ventus potest esse  
levis, lenis, tenuis, mitis, frigidus,  
vehemens, stridens, saevus, acer,  
ingens, fortis, furens, rapidus, trux,  
ferus, infestus...

NICOLAUS. — Eja, claude rivos. Verba  
autem quibuscum hos ventos gram-  
matici conjungere solent, quaenam  
sunt?

CORNELIUS. — Ut nunc res est, non  
memini. Memoria mihi est fluxa et  
imbecilla.

NICOLAUS. — Hoc ignorat nemo. Ven-  
tus ruit, saevit, bacchatur, fremit,  
sibilat, stridet, strepit...

CORNELIUS. — Sat est, sat est! Babae!  
(¡qué maravilla!) Optime dixisti,  
Nicolaë! Qui scis?

NICOLAUS. — Tua nihil refert.

VALERIUS. — Age vero, flat pluvius  
ventus, qui quidem certissimus  
pluviae praenuntius est.

CORNELIUS. — Immo, brevi pluet. Res  
comporta mihi est, non est quod  
dubitetur.

VALERIUS. — Hodie tempestatis causa  
ludo prohibebimur! Ego autem cal-  
vus esse nolo.

NICOLAUS. — Quorsum haec, Valeri?  
Quid dicis de calvitio?

VALERIUS. — Nimirum, quia pater  
meus dixit mihi se, adulescentem,  
nimio studio et labore sibi calvi-  
tium peperisse (*se había quedado  
calvo de*).

NICOLAUS. — Vah, aufer abhinc nu-  
gas! Tua loquacitate me semper  
obtundis.

VALERIUS. — Atqui serio [extra jocum]  
id dico.

CORNELIUS. — Inepte, nonne vides te  
adhuc in puerili aetate versari? Qui  
tandem calvus fieri potes?... Sed  
jam decidit pluvia rara et minuta;  
jam rorat.

NICOLAUS. — Utique leniter pluit,  
umorque perfundit omnia. Ingenti  
sono caeli strepunt!

CORNELIUS. — Hem! Jam guttae [plu-  
viae] pleniores decidunt. Quin et  
vento veberatae in os feruntur  
(*impulsados por el viento azotan el  
rostro*).

VALERIUS. — Io! (¡estupendo!) Hodie  
diem feriatum habebimus. Imber

enim ingentibus procellis, [cum ingenti strepitu] dilabitur. Immo pluvia jam strepit in tectis, verberatque fenestras.

CORNELIUS. — O mirificam Dei gratiam, qui dat nobis diem feriatum!

NICOLAUS. — Euge, Valeri! In gymnasium ire non possumus! Imber jam torrentis modo effunditur! Porro, in horizonte fulgur vidi. St! tacete! tonitruum audiamus...

VALERIUS. — Fulgor fertur ab ortu usque ad occasum! St! Crucis signo nos muniamus.

CORNELIUS. — Ecce jam viae imbribus inexplicabiles sunt factae [lubricae, caenosae].

CORNELIUS. — Quinimmo, vestigium fallunt, non recipiunt (*resbala uno por ellas*).

VALERIUS. — Viden', Cornelii? Propter continuationem imbrium flumina sunt superfusa [extra ripas difluunt, alveos excedunt, super ripas effunduntur], et jam agros inundant.

CORNELIUS. — Quid nunc, Nicolaë? Nonne dixisti aquas brevi recessuras esse?

NICOLAUS. — Res, eheu, aliter evenit ac putabam! Vae civibus?

VALERIUS. — Tu rem non bene scis. Quantum capio [intellego, quantum capere et judicare possum, quantum mente percipio et cogitatione assequor] aliter res se habet, non est ita. Terra nimirum sitiebat pluviam, arida nimis erat, et...

NICOLAUS. — Imbres segetes affligerent [sternent, prosternent]; faenum corripiant, ac postea in pratis frumentum putrescat. Utinam parum pluisset; pluvia sero et opportune venisset!

VALERIUS. — Sed jam imber quiescit [desinit]. Et quamquam fenestra

imbrem transmisit (*ha llovido per la ventana*), tectumque pluviam recepit (*ha dejado pasar*), [perforatum, pertusum est], arcus in nubibus appetat. Eja, bono animo fac sis, Cornelii! Tuos confestim revisemus.

CORNELIUS. — Utique, arcus appetat, et quidem pulcherrimus nostris sese oculis offert, euge, euge!

VALERIUS. — Tametsi tu secus existimes, Nicolaë, pluvia recreavit terram.

NICOLAUS. — Licet in lectum atque in mensam impluerit, nonne?

VALERIUS. — Certe, sed cuja interest?

CORNELIUS. — Sed jam tempestas abiit, tonare desiit et imber transiit. «*Post nubila Phoebus!*» Tantum montium juga perenni nive obruta manent...

VALERIUS. — Ita sane: et ad speciem serenum est caelum (*hay apariencia de buen tiempo*); immo vero, sol lucet jam. Cornelii, cave te soli commitas, gravedine enim laborabis (*te resfriarás*).

CORNELIUS. — Curam abjice, nihil laboro. Praeterea, tuae valetudini fac consulas. Medico utere, vel certe medicinam adhibeas necesse est antequam gravedo tua in perineum evadat (*degenere en pulmonia*). Quamquam, ut reor, mala omnia tempore decrescent [desinunt, finiuntur] (*el tiempo lo cura todo*). Nulla enim doloris tanta vis est, quam non molliat ipsa dies.

NICOLAUS. — Obnubilatum caelum fuit (*estuvo encapotado*), sed jam non turbida dies est (*despejado*), adeo ut tempestas existere non possit melior.

CORNELIUS. — Faxit Deus. Sed in gymnasium redeundum nobis erit...

VALERIUS. — Est ut dicis, heu! (*¡ay, tienes razón!*)...

BENEDICTUS MONTSERRAT, O. S. B.



# In Gutenbergii memoriam

gratiae in principibus ab illius solima.  
Hoc autem testis eius est. Et ego mit-  
tani primi lumi pantes mei iudeo: vos  
autem letere in civitate quo ad usq; indu-  
striani virtutem et alio. Educat autem vos  
foras in berthaniam: et elevatis mani-  
bus suis benedicite eis. Et factum est dum  
predicaret illis ecclisia ab eis: et treba-  
tur in celum. Et ipsi adtraentes regres-  
sione in ihesualem cum gaudio ma-  
gno: et erant semper in templo lau-  
dantes et benedicentes domum amem.  
**Expluat euangelium secundum lucas q[uod]ne  
virginis i[n] euangelio sicut dicitur.**

**S**icut est iohannes euange-  
listus unus et discipulus domini:  
qui virgo a deo electus est:  
que de nuptiis volenter  
nubet uocavit dominus. Cum virginitas  
in hoc die p[ro]p[ter]e testimonium datur in eu-  
angelio: et p[ro]p[ter]e aetatis dilectione a deo  
dicatur. h[oc]c in securitate suâ de aetate com-  
mendante domino. ut virginem virgo scua-  
det. Virgo manifestans in euangelio  
quod erat ipse incorruptibilis verbi opus  
inchoans. solus verbum carnis factum  
est. nec lumen a terribus corporebus  
fuisse citoceatur: primu[m] signu[m] ponere quod  
in nuptiis fecit dominus ostendens quod ipse  
erat: ut legimus demonstraret quod obi-  
c[t]us immunitus sit deficitus nuptiarum vi-  
uum debet: et certebus immunitatis  
nova omnia que a christo instituerunt  
apparetur. Hoc autem euangeliu[m] scripturam in  
asia postea q[uod] i[n] primis insula apocalypsim  
scripturam: ut tu i[n] principio ca-  
nonis incorruptibile principiu[m] poneras  
in gratia: et tria incorruptibilis sumo  
q[uod] virginem i[n] apocalypsi redditer dicere  
testo ergo loco alpha et o. Et hic est iohannes:  
qui scilicet superru[m]ble dicitur re-  
cessus sui. Conuictus disceptis suis

in episcopo. per multa ligatu[m] reprimen-  
ta. prius ratiu[m] descendens i[n] defollu[m]  
sepulture sue locu[m] facta oratione. po-  
scens est ad patrem suos: tam extane  
a dolore mortis q[uod] a corruptione car-  
nis inuenitus alienus. Tamen post o-  
mnia ratiu[m] scripturam: et hoc virginis  
debet. Quoniam tamen uel scriptorum respo-  
cis displosco uel libros predinato[rum] deo  
a nobis per singula non exponitur:  
ut sancti desiderio collato et quatuor  
ab aliis studiis laboris: et deo magis-  
tri doctrina structur. **Expluat p[ro]p[ter]e  
scriptor euangeliu[m] sicut dicitur.**  
A principio erat uerb[u]m: et uerb[u]m erat  
apud deum: et deus erat uerb[u]m. Hoc erat  
in principio apud deum. Omnia p[er] ipsum  
facta sunt: et sine ipso factum est nichil.  
Quod factum est in ipso uita erat: et uita  
erat lux hominum: et lux in terrib[us] lu-  
ce: et tenet[ur] ea no[n] comprehendendis. Sfu-  
rit ipsius missus a deo in romanum et iohannes.  
Hic venit i[n] terram romanu[m] ut te-  
moniu[m] phibet de lumine: ut omnes  
credentes p[er] illu[m]. Non erat ille lux: sed de  
testimonio phibet de lumine. Erat  
lux uera: que illuminat omnes homi-  
num uenientem in h[oc]e mundu[m]. In mu-  
ndo erat: et mundus p[er] ipsum factus est: et  
mundus e[st] non cognovit. In propria re-  
nit: et sui e[st] non receptauit. Quoniam autem  
recepit e[st] deus n[ost]ris p[er] carnem filio[rum]  
domini h[oc]: biso queratur in nomine eius.  
Qui no[n] e[st] sanguinibus neq[ue] et uolu-  
tate carnis. neq[ue] et uoluntate uici: sed  
et deo nam sunt. Et uerb[u]m caro factum  
est: et habitauit in nobis. Et uidimus  
gloriâ et gloriam quasi unigenitam a  
patre: plena gratae et ueritatis. Quidam  
testimonium phibet de ipso: et clausat  
dicitur. Hic erat que dixi: q[uod] post  
me ueniret[ur] est. antea mihi factus est:

Memoriam illustrissimi viri Gutenbergii, artis libros imprimendi aucto-  
ris, urbs Moguntiacum (Mainz), ubi natus est, sollemni pompa hoc anno  
celebrat. Ipse enim anno MCDLV primum librum typis mobilibus impres-  
sum, totius orbis admirationem movens in lucem edidit. Nam cum ad id  
tempus libri omnes stilo et atramento, diuturno ac laborioso opere, exarari

solerent, illud Gutenbergii inventum veram librorum imprimendorum inversionem significat. Ac primus liber, quem prelo excudendum subjicit, Sacrae Scripturae fuerunt. Tanti enim eas faciebat pius auctor! Jam omnes imprimendorum librorum viri peritissimi candide fatentur nullum adhuc librum —quot milia quotannis foras edi solent!— venustate ac splendore typorum librum primum vincere: spirare enim indolem artificis summi vix superandam, mirum religionis sensum, rei perficienda studium voluntatemque prorsus addictam. Cujus nobilissimi viri vita quanquam tenebris obscuratur, tamen illum in summam rem pecuniariam redactum esse atque adeo ipsam officinam vendere coactum constat, ut opus absolveret.

Dici nequit, quanti momenti nova haec ars fuerit. Omnes enim hodierne machinae typographicae, earum articia stupenda, ratio imprimendi velocissima ab invento illius viri initium sumpsere. Nec dici ullo modo potest, quantum ad promovendas litteras culturamque eruditiorem contulerit. Maximi vero momenti ac ponderis hoc inventum fuisse facile intelleges, si religionem consideraris. Lutherus enim ejusque socii solis libris manu scriptis et sermonibus in avellendis a vera religione nationes integras nunquam tantum profecissent, quantum nova hac arte revera profecerunt. Porro vix enumerari possunt libri elucubrationesque, quibus per Germaniam et circum sitas nationes sparsis, errores nefastos speciosis pictos coloribus ubique propinarunt. Qua ratione populos Evangelii luminis veraeque doctrinae fere rudes lues illa exitialis infecit. Nec casu, sed divinae providentiae beneficio accidit, ut primus liber, qui e prelo prodierit. Sacrae Scripturae fuerint. Quemadmodum enim recens Gutenbergii inventum cum ponte, quo gentes diversae inter se conjungantur, recte comparatur, ita quoque religio quasi pons est, quo gentes regione dissitae inter se propius accedant. Quis dixerit, quis nostrae aetatis status ac facies esset, nisi clarissimus ille vir Gutenbergius artem nunquam interituram excogitasset? Qua, etsi religionis novatores in malam partem sunt abusi, tamen effectum est, ut vera religio paulatim in florentem statum reducta sit multis Europae regnis, quamvis deplorandum sit tot regna a corpore Ecclesiae esse disgregata. Nescio, quo loco illius viri cineres recubent, tamen inventum ipsius saecula praedicabunt.

N. MANGEOT, S. J.

# SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR

Cl. v. Jos. H. — *Lebachii.* — 1. Quae a clmo. v. Baccio proponuntur verba ut latine interpretemur novum inventum *radar* parum significantia tibi videntur, ideoque non satis placent. Dixerat ille: «radioelectricum instrumentum obstaculum praenuntians — praemonens — praemonitorium»; tu vero breviore ratione et significantiore — uti credis — «radioelectricum telemetrum» profers; nam cum «telemetrum» instrumentum illud sit quo distantiam a rebus metimur, voci *radar* quadrare videtur cum ex litteris compendiariis, quibus efficitur significet «radioelectricarum rerum longinquierum detectionem atque repertionem». Cui sententiae et nos assentimur, inquirendum tamen est num aliud sit instrumentum cui et nomen a te factum — «radioelectricum telemetrum» — convenire possit. «Instrumentum radiotelemetricum» haud facile probarem; quid autem «radiabulum» tuum sit, explica, quaeso; estne idem atque «apparatus radiophonicus»?

2. «Quid habes pro «motivo», artis illo elemento et ornamento, quid pro «motivo», exigua illa phrasis, quae alicujus musicae eompositionis constituit thema? «Argumentum» et «hypothesis» non satis placent».

— Vocem «motivo» in arte verterem *propositum* seu *praecipuum argumentum*; sic: «Clarissimus ille pictor... idem praecipuum [propositum] argumentum in picturis saepe iterat». — In musica vero «motivo» scriptores interpretantur: «modus musicus» (BACCI), «modulata phrasis» («motivo musical» BINI, *L'uso vivo della lingua latina*), «iterum atque iterum modulata phrasis» («motivo dominante» BINI); placetne «modulus (musicus) iteratus»? Sit exemplum: «Hic modulus iteratus aures suavissime demulcet», este «motivo», recrea muy deliciosamente el oido.

3. «Quo pacto *conciencia del yo* latine interpretaris? «Conscientia ipsius ego» barbariem protendit apud psychologos scholasticos. Estne tibi significantius?».

Sic in Latinum vertere contendi: «conscientia sui ipsius, sui solius; conscientia mei ipsius; conscientia nostra - vestra ipsorum; conscientia qua ego ipse sum, qua tu ipse es, qua ille ipse est». Sit exemplum: «Motus conscientia, qua ille ipse erat, periculum iniit», «sui ipsius conscientia ductus iniit pericula». Nuper in quodam libro legi quae sic latine redderem: «Supra patenam (in offertorio) totum id quo nos ipsi sumus et quod habemus Christo Domino offeramus» (*unser eigenen Ich — nuestro propio yo*).

Sapientiores ex horreo suo significantiora promant.

4. «Quomodo latine reddis: «Vivencia (germ. «Erleben, Erlebnis»), proceso psicológico consciente en el cual el individuo adopta una posición valorativa sintética; la vivencia no es únicamente pasiva y emocional, sino que supone una intervención intelectual activa; quae vox inde ab hujus saeculi initis in philosophia, Villelmo Dilthey auctore, magnas habet partes?»

Sic sententiam tuam reddere sum conatus: «Intimus sui vigor, processus psychologicus sibi conscius, quo quisque compendiariam sui rationem et aestimationem sumit (sentit); intimus ergo sui ipsius vigor non tantum passionem et commotionem quandam secum fert sed actionem quoque mentis». Quae definitio illis qui ab «existentialia» nomen acceperunt et «existentialistae» nostra aetate vocantur, uti credo, quadrat. Sunt tamen qui «viventiam» quasi «rei intimam cognitionem et experimentum» intellegant.

# PER ORBEM

## VIII Congressus Internationalis ad Studia Romanica Promovenda.

— Florentiae in Italia *VIII Congressus ad Studia Romanica Promovenda* ex omnibus nationibus a die tertio ad diem octavum mensis Aprilis anni proximi 1956 congregabitur. Index rerum, de quibus agetur, nondum est vulgatus; cito tamen in vulgus efferetur. Commune autem maximique momenti argumentum erit de «linguarum litteriarum formatione». — In singulis matutinis conventibus, praecipua argumenta a quatuor claris viris proponentur; in conventibus vero pomeridianis liberae relationes de peculiaribus rebus, quae ad praecipuum argumentum spectent, legentur ac de his disceptationi locus erit. Congressus praeparatio et moderatio, in superiore Congressu Barcinone anno 1953 coacto; Consociationi Italicae Philologiae Romanicae provehendae mandata est, auspiciis societatum quae «Fédération Internationale des Associations d'Etudes Romanes» et «Société de Linguistique Romane» appellantur.

**Consociatio Hispanica Studiis Classicis Provehendis.** — *Consociatio* socios certiores facit proximam disputationem «scientificam» Matriti, ante Nativitatem Domini, mense Decembri futuram; in qua, si relationes, quae mittantur, ad id suppetant, de Aristotele disseretur.

Illud quoque renuntiatur primum librum a Consociatione brevi tempore editum iri, i. e. Bibliographiam de Studiis Classicis (1939-1955). Qui quidem liber opera et lucubrationes superioribus annis edita in Hispania et alibi, sed ab scriptoribus Hispanicis, commemorabit. Nobilissimi illi viri vere sunt laudandi quod hujusmodi opus tamdiu desideratum aggrediuntur. Nam multa, eaque optima neque minimi habenda de rebus classicis in Hispania vel ab Hispanis scripta sunt his uberibus annis qui atrox bellum sunt insecuri. Quae cum hoc illuc sint dissipata a multis ignorantur neque recte perpenduntur.

**Diccionario Crítico Etimológico de la Lengua Castellana**, scripsit **Joannes Corominas**, in Universitate Chicagiensi Prof. — In fasciculo superiore, hujus praestantissimi operis primi voluminis vulgata est editio. Nunc autem venale jam prostat — quod laeto animo legentibus nuntiamus — alterum volumen quod verba illa comprehendit quae litteris D-K continentur.

Haud facile hujusmodi opus satis laudabitur, nam cum unum tantum sit, idque completum lingua Hispanica exaratum, maximo commodo et usui viris, qui studiis Romanicis vacant, erit.

In hoc opere sexaginta fere milia verborum considerantur linguae His-

panicae et aliarum linguarum. In singulis articulis vocabuli origo, evolutio, usus vel interitus — tempore praefixo quo primum usu venit —, uno verbo tota vocabuli historia, traditur. Praeterea voces critice perpenduntur, quo fit ut non nulla vocabula et significaciones, quae in Dictionario Academiae Linguae Hispanicae continentur et usitatae vigentesque proponuntur, vel falsa vel quae non sunt, demonstrantur. His addere oportet non paucorum verborum verum etymon nunc primum in hoc opere sapienter exponi et explicari. Ex quo efficitur ut hoc lexicon et historicum et etymologicum plane vocare possimus.

Quod quamquam proprie de lingua Hispanica («Castellana») agat, maximae etiam utilitati erit aliis linguis romanicis, in primis vero Lusitanae, Catalaunicae, Occitanae — cum de his saepe sermo incidat —. Utinam quantocius totum opus absolvatur communi omnium commodo et usui.

Est cur Officinae Librariae «Gredos» gratulemur quod quam optimè de litteris Hispanicis meruit hujus libri editione et aliorum qui aptissimi sunt ad studia litteraria, linguae Latinae, linguarumque romanicarum excitanda et promovenda.

**R. P. Arturus M.<sup>a</sup> Cayuela, S. J.** — Die quarto decimo mensis Octobris vita cessit in Collegio Verolensi, in Hispania, R. P. Arturus Cayuela, S. J., vir classicis disciplinis eruditissimus, cuius lucubrationes de litteris humanioribus et in primis praecipuum opus cui index «Humanidades Clásicas», anno 1940 edito, ab omnibus nota sunt ac dilaudantur. Commentarios nostros magni fecerat ac laudibus cumulaverat.

Pampilone natus dia 2 mensis julii a. 1883, Barcinone «Licentiam» est adeptus et totam suam aetatem impense operam navavit classicis litteris aliisque litterariis disciplinis tradendis. Vir doctus et litterarum studiosissimus in pace Christi requiescat.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# COLLECTANEA

Socii Consociationis •Guillaume Budé•, cuius classicorum operum editiones maxima sunt laudandae, in generali conventu Parisiis habito die 26 mensis Junii anni vertentis, vehementer solliciti de adulescentium cultu humaniore fovendo et in disciplinarum reformatione tutando, hanc relationem probaverunt:

1.<sup>o</sup> demande que, en invoquant une opposition entre esprits scientifiques et esprits littéraires, on ne soit pas amené à refuser aux cadres scientifiques et techniques de la nation une formation humaniste qui ne leur est pas moins utile qu'aux autres élites du pays;

2.<sup>o</sup> condamne toute diminution réelle de la durée des études classiques et demande que l'orientation souhaitable donnée aux enfants

entre 11 et 13 ans ne serve en aucun cas de prétexte à une telle diminution;

3.<sup>o</sup> rappelle que le voeu de l'Association que la licence habilitant à l'enseignement du français dans les classes qui doivent acheminer de la sixième jusqu'au baccalauréat, soit celle de langue classique.

(*Bulletin de l'Association Guillaume Budé*, Octobre 1955, p. 7)

JOHANNES COLIN haec de voce «Galerus» refert a Juvenale (*Sat. 8, 203*) adhibita, quam plures scriptores hujus aetatis —sed non omnes, cfr. ex. gr. conversionem quam cl. v. HENRI CLOUARD, *Garnier Frères*, edidit— ita interpretantur ac si «épauleuse» significet. Quam interpretationem falsam esse argumentis ex religione desumptis luculenter commonstrat. Gracchus, de quo in Satura Juvenalis, sacerdos, in agone contendit ut retiarius. Quod quidem dedecus non est, cum de ritu quodam sacro «substitutionis» pro salute cujusdam Caesaris agatur, qui hoc loco Nero est. Si ergo ritum sacrum peragit, rituales induat vestes oportet. Quae vestes sunt «tunica picta» et «galerus» (*coiffure, bonete, mitra*) saliiis sacerdotibus propria. Ergo «galerus» non «épauleuse», quo se defendat, sed «coiffure», sui ordinis signum, significat. Ex quo cl. Scriptor haec colligit:

«Beaucoup de textes latins, restés inexplicables par les philologues, se prêteraient au commentaire limité d'un spécialiste: juriste, philosophe, scientifique. Nous l'avons montré dans plusieurs articles sur Pétrone, Apolée et Juvénal, examinés du point de vue de l'archéologie et de l'histoire sociale. Le point de vue religieux n'est guère moins délaissé. Il se-

rait pourtant, comme ici, révélateur en bien des cas. En dépit de l'hostilité du dernier siècle pour toute explication religieuse, il faut en croire nos yeux. Le noble Gracchus combattait dans l'arène comme rétiaire avec la tunique pictée et la coiffure du prêtre salien.»

(*Les Etudes Classiques*, XXIII, (1955) 409-415)

In iisdem commentariis (pp. 404-408) factum illud historiae Romanae quod «Furcarum Caudinarum» nomine omnibus notum est, religiose etiam explicatur. Ex cl. v. ARMAND ABEL sententia illa sub jugum traductio esset quasi mors «figurata» et velut «reductio quaedam magica ad impotentiam» vi ritus «substitutionis»: Samnitae nolunt occidere Romanos; et pro morte eos sub jugum mittunt ac si hoc sufficeret ad abiciendam et infringendam Romanorum virtutem.

JACOBUS SIDERA, C. M., F.

# BIBLIOGRAPHIA

A. RUELLE. — *Choix de Bucoliques*. Maison d'Éditions Ad. Wesmael Charlier, S. A. Namur, 1954.

Hoc brevi libello sex Vergiliī eclogae — prima, quarta, quinta, octava, nona, decima — explanantur. Sed nota quae unamquamque eclogarum comitatur nec grammatica nec historica est, sed potius aesthetica, hoc est sententiarum quae in Vergiliano opere continentur interpretatio, seu velut contextus cuiusque eclogae qui quidem nobis omnino placet. Est nova commentarii ratio quae haud facile alibi inventes quaque maxime propagari debaret cum ea vera classicorum in alumnos derivetur eruditio et institutio.

V. BEJFRANO, M. S. RUIPÉREZ — *Latin primero*. Segundo curso de bachillerato. Ediciones Anaya. Salamanca.

Hunc librum «*Latin primero*» nuper iustravi ac legi, et — plane narro — maxima delectatione sum affectus in legendō: nam primo optima charta atque typorum perspicuitate est praeditus. Deinde magna amoenitate exaratus. Regulae grammaticae fere nullae traduntur, sed principio cuiusque lectionis brevia exempla apponuntur ut ab alumnis legantur, ex quibus praecepta deducantur. In fine lectionum auctores narrationes quasdam addiderunt de vita et moribus Romanorum, quas quidem alumnis magno profectui fore speramus.

J. ASPA, C. M. F.

UGO BIANCHI — ΔΙΟΣ ΑΙΣΑ. Destino, uomini e divinità nell'epos, nelle teogonie e nel culto dei greci. Angelo Signorelli Editore. Roma 1953.

Hujus libri inscriptio ex se est quasi totius operis summa: opus quidem ad pristinam historiam pertinens, a professore U. Bianchi in vulgus editum; in tria eaque solida, capita dispergitum

Epos Homericum, velut praecipuum propositum. In capite primo accurate ab scriptore agitur, ubi ex multiplici ratione fati vel sortis notio ostenditur atque evulgatur. Multa etenim vocabula de re ab Homero adhibentur: αἰσα, μοῖρα, πότιος, οἵτος, ωχήρ, ἔμφορα, πέπρωται, θέσσαραν... Duo vero priora vocabula αἰσα, μοῖρα praecipua habenda sunt: quocirca et meta in exponendo primo capite, quod scita appendice δαιμῶν apud Homerum clauditur (pp. 1-132).

Altero vero capite disputat clarus vir U. Bianchi de fato deorum deque theogonias. Quem quidem ad rem ducunt enucleandam Hesiodi carmina (pp. 133-192). Denique, capite tertio, de fato subtiliter et copiose loquitur in Graecorum religione, ubi magni est momenti appendix de figura deae fatalis ad fusum usque laborantis (pp. 193-220).

Indice vero textuum Homericorum atque indice nominum (pp. 221-233) totum opus absolvitur, quod et absolutam de re monographiam aestimamus, cum ex notarum selectione et opulentia, tum ex scriptoris ingenio atque studio.

*Corpus Inscriptionum Latinarum*, voluminis decimi sexti supplementum: Diplomatū Militarium ex constitutōnibus Imperatorum de civitate et conubio militum veteranorumque expressorum supplementum, consilio et auctoritate Academiae Litterarum Germanicæ edidit Heribertus Nesselhauf. Berolini apud W. de Gruyter et Socios. MCMLV. DM. 117.

Grates imo pectore officinae Librariae Walter de Gruyter persolvimus, quod hunc fasciculum, supplementum voluminis XVI Corporis Inscriptionum Latinarum ad nos missum benigne voluit. Haud opus est nos hic referre momenti ponderisque vim hujusmodi operis, quasi tuti felicisque Latinarum In-

scriptionum horret, ex quo argumenta lingisticae, geographiae, numismaticae, diplomaticae, cet., cum magistris tum alumnis sunt promenda.

Post inclitum v. Theodorum Mommsen, clarus vir Heribertus Nesselhauf edit volumen XVI magnae Collectionis, cui inscriptio: «Diplomata militaria ex constitutionibus Imperatorum de civitate et conubio militum veteranorumque expressa». Cujus quidem voluminis id, de quo est sermo, supplementum manet. Nunc vero, ut in volumine decimo sexto sic etiam in hoc fasciculo supplementarium conficiendo permultum se debere consilio auxilioque, comitati liberalitatisque virorum doctissimorum effossionibus praestantium vel musea regentium grato animo editor confitetur. Opus ideo tanquam «collectiva scripta», quibus magna et fides et aestimatio habenda.

En tibi conspectus hujus fasciculi: Addenda et corrigenda ad n. 1-157 (p. 215). Diplomata militaria n. 158-189 (p. 217). Indices: I. Nomina virorum et mulierum (p. 243). II. Cognomina virorum et mulierum (p. 244) III. Res militaris (p. 244). IV. Tribus Romanae (p. 247). V. Geographica et ethnica (p. 247). VI. Grammatica et orthographica (p. 248). Conspectus diplomatum n. 1 189 temporum ordine dispositorum (p. 249) Tabulae photographicae VII-XIX

MARCEL A. RUFF. — *Baudelaire - L'homme et l'oeuvre*

J. FABRE. — *Chénier - L'homme et l'oeuvre*.

LE GENTIL. — *La Chanson de Roland*.

H. RODDIER. — *L'Abbé Prévost - L'homme et l'oeuvre*.

Hatier - Boivin, 8, 1. d'Assas, Paris, 1955.

Ad nos usque pervenerunt quattuor volumina, (41, 42, 43, 44), illius nobilis «Collectionis» bibliographiae «Connaissance des Lettres», ab officina libraria A. Hatier jam diu, inter litterarum

humanorum cultores, fusius evulgatae.

Primo volumini hic est index: BAU DELAIRE. — *L'homme et l'oeuvre*, a clero professore Marcello Ruff exarato. Ac facile hic lector studium paeclaris Gallici poetae inveniet, ut ex vivo contextu percipiat et culturam intellectualem ac spiritualem, una cum ejusdem cogitationis progressu atque genesi poetici et critici laboris.

Alteri porro volumini inscriptio: CHÉNIER. — *L'homme et l'oeuvre*, a cl. Prof. Johanne Fabre, conscripto. «Célébris ignotusque», appellabatur Chénier, anno MDCCCXIX, ab scriptore Latouche. Sed accurata interpretationis ratio, ubi psychologia historiam tanquam vivam reddat, ubi sedula exegesos diligentia cum vivace sensu consonet, commode in lucem edet cum politcam tuin poeticam per celebris viri Chénier. Quod quidem in opere scriptoris | Fabre evenit.

Tertio vero volumini inscriptio: *La Chanson de Roland*, a professore P. Le Gentil confecto. In quo curiosus lector tanquam conspectum studiorum de Cantico Rollandico, nostra aetate, inventiet.

Ultimum denique volumen inscribitur: L'ABBÉ PRÉVOST. — *L'homme et l'oeuvre*, ab Henrico Roddier conscriptum, in Litterarum Facultate Lugdunensi professore. Quasi primus liber est, in quo ampliore conjunctoque modo, cum de persona tum de opere clari viri Prévost disputatur.

Haec germana volumina, ob quorum donum officinae librariae A. Hatier gratias agimus, his plane commendanda, qui litteras Gallicas amare et colere studiose intendunt.

ETTORE PARATORE. — *Virgilio*. 2<sup>a</sup> edit. Sansoni, Firenze, 1954.

Liber altae artis criticae est novum hoc Vergilianum opus, a paeclaro viro H. Paratore exaratum. Cum exemplo id oculis lector perlustrat, duo facile in mentem veniunt: hinc brevissima eaque

vaga inscriptio «Virgilio»; inde summa notarum ad calcem inopia atque bibliographiae, in quadringentis fere pagellis, hisque scripturae minutissimae. Quod dedita opera seu sciens prudensque fecit auctor. Eum in praefatione libri audamus: «Vollì scriverlo perciò con vigile attenzione all'essenziale, sfrondando la mia analisi di tutto ciò che mi appariva poco pertinente al tema».

Hisce ob oculos mentis habitis, brevissime de libri partitione deque ejusdem «psychologico» paene cursu: «Intendo, ait scriptor, riproporre ai dotti ed ai veri amatori una mia personale visione di Virgilio...».

Primo H Paratore, de crisi religiosa, morali, politica Romae ample disserit (pp 169) Agitque de spirituali evolutione Graeciae Postalexandrinae; de primo concursu conscientia et critico Romae cum cultura Graeca; de stoicismo Romano circuloque Scipionum; de crisi Rei publicae a Gracchis ad Ciceronem usque; de novis in provincia religiosa, in arte, historia, philosophia...

Hactenus tanquam margo oraque Paratorensis studii. Reliquae libri tres partes hae: Bucolica (pp. 70-176), Georgica (pp. 177-282), Aeneis (pp. 283-386). In Bucolicis agit scriptor de propria novitate operis Vergiliani in historia «spiritualitatis» Romanae; et quasi in Eclogarum intimum sensum ab ovo penetrare intendit, psychologica quidem ratione ingenioque haud infecundo.

In Georgicon vero studio, agit de consuetudine Vergilli cum Maecenate et Horatio; de conceptu laboris ejusque relatione cum conceptione sensus religiosi; de instabili aequilibrio «ideologiae» et structurae poëmatis... Tandem in ultima operis sectione, fusius disserit auctor de cogitatione et «expositione» in poëmate; de Aeneidos genesi; de inspiratione religiosa in poëmate...

Ejusmodi quidem opera nata sunt vota auctoris cumulare: «L'unico mio augurio è che questa seconda edizione susciti un più vasto interesse e offra l'avvio ad utili discussioni».

EUG. DROULERS. — *Mythologie Grecque et Mythologie Romaine*, Namur, Malson d'éditions Ad. Wesmael-Charles.

Ex ipsa hujus libri inscriptione facile partitio commonstratur: *Mythologia Graeca* (pp. 17-87) et *Mythologia Romana* (pp. 88-107). Quod breviusculum opus illis ab auctore dicatur, qui aliquantulum de *Mythologiae classicae «mysteriis»* institui cupiunt.

Hujus vero libelli clarus scriptor praecipua, eaque strictim, de singulis heroibus adspicit, ut praefectorum oculis lineamenta eorum accuratiore quidem ratione offerat. Res tota, cum in textu tum in tabulis pictis, moderata atque ad traditionis fidem redacta est.

Antequam tractatum incipit, parallelam E. Droulers tabulam deorum Graecorum et Romanorum hoc modo proponit: Aphrodita - Venus, Apollon - Apollo, Ares - Mars, Arthemis - Diana, Athena - Minerva, Demeter - Ceres, Dionysos - Bacchus, Hades - Pluton, Hephaistos - Vulcanus, Hera - Juno, Hercules - Hercules, Hermes - Mercurius, Hestia - Vesta, Chronos - Saturnus, Persephone - Proserpina, Poseidon - Neptunus, Rhea - Cybele, Zeus - Jupiter.

De unoquoque paucis absolvit auctor, via ac ratione alumnorum menti satis apta. Tum non nulla de diis minoris momenti profert: de Musis, Sirenibus, Danaidibus, Nymphis, cet. Denique triginta tabulae pictae libellum ornant commodioremque ad discipulorum captum reddunt.

S ULLMANN — *Précis de Sémantique Française*. Éditions A. Francke S. A. Berne, 1952.

Novum, anno 1883, in sapientium usum venit vocabulum, novae quidem rei studium commonstrans. Etenim philologus Gallus Michaël Bréal, a voce Graeca ὅρναινει nomen «Sémantique» effingens, tanquam scientiae significationum verborum fundamenta jecit. Ex eo vero tempore ad nostram usque aetatem,

haud pauca eaque scita de *Semantica* ab auctoribus tradita nobis sunt. At *Semantica* nondum, quod ipse clarus vir S. Ullmann in operis hujus praefatione fatetur, cum sit ultima scientiarum linguisticarum, imae synthesis metam attigit.

Quocirca nobis auctor in libro conscribendo, de opere fiduciarlo loquitur. Bene tamen hoc maximi ponderis momentique, vel prima fronte, ni multum fallor, justa aestimatione erit cultoribus scientiarum linguisticarum.

Ex una totius operis via et ratione argumentique notitia, facile in ejus modi aestimationem veniet lector atque amplio scriptorem plausu excipiet. Enī igitur tibi mera argumentorum tabula, qua operis cursus commode detegi videatur.

Praefatio (p. 1). Conspectus Semanticae generalis (pp. 1-46). Semanticae sonorum Gallicorum functiones (pp. 47-71). De vocabulo Gallico (pp. 72-100). Verba arbitraria et verba ratiocinativa (pp. 101-131). De verborum sensu (pp. 132-146). De viribus affectivis (pp. 147-179). De synonymia (pp. 180-198). De polysemia (pp. 199-218). De homonymia (219-235). Qua de causa verba significationem mutant (pp. 236-269). Qua ratione verba significationem mutant (pp. 270-298). De vocabularii structura (pp. 299-318). Et totum completur opus bibliographia (pp. 319-321) atque indice (pp. 322-332) argumentorumque tabella (pp. 333-334).

**THEO HERRLE.** — *Lebendiges Latein Methodische Versuche zur Verlebendigung des Lateinunterrichts*. Kesselring'sche Verlagsbuchhandlung Wiesbaden. 1953.

Sexaginta admodum, hisque minutae scriptuae, pagellis clarus vir Th. Herrle in hoc libello quasi conspectum sermonis vulgaris linguae Latine comprehendit, ab aevō, quod medium dicitur, ad nostrum usque tempus. Tanquam totius rei historicus ac paedagogicus conspectus habendus liber, ubi lector, Germanicus praesertim, in iis presse instituitur, quae pertinere videantur ad studium

usumque Latinae linguae in scholis atque nostrarum gentium consuetudine.

Quaedam in genere tibi de linguarum disciplina, singillatim vero de Latina, delibat Th. Herrle: de Disciplina nimirum per usum, grammaticam, linguisticae scientiam (pp. 5-9). De lingua Latina aetate media (pp. 9-13). De «humanistis» (pp. 13-19). De litterarum humatorum scholis, saeculis XVI et XVII (pp. 19-23). De Erhardo Welgel (pp. 23-25). De Johanne Amos Comenio (pp. 25-30). De Johanne Bernardo Basedow (pp. 30-33). De Herder et Goethe (pp. 33-36). De Johanne Henrico Pestalozzi (pp. 36-39).

Denique agitur in libello de novis rationibus ac viis disciplinae Latinae in scholis (pp. 39-49), deque meta ad redendum quasi vivam, in provincia culturae scientiarumque, lingam Latinam. Bibliographia autem recolenda magnique est momenti, quippe quae praeceps Latinitatis Commentarios atque libros de latino sermone instituendo adhibere intendat.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

J. COROMINAS. — *Diccionario Crítico Etimológico de la Lengua Castellana*. Editorial Gredos, Madrid, 1955, vol. II, 1 082 pp., 500 ptas.

Prof. Dr. Johannes Corominas litteris Hispanicis sublime erexit monumentum: Dictionarium conscripsit linguae Hispanicae, quod simul et «criticum» et etymologicum et historicum est; in quo voces ejusque sensus sedulo, prudenter, eruditè perpenduntur et excutiuntur omnibus adhibitis adminiculis quae nostrae aetatis investigatores conquirunt ad perficienda et expolienda opera ad scientiae et disciplinarum rationem exarata.

Hoc praestantissimum Lexicon viris doctis summae est admirationi, quo altissima cl. viri Johannis Corominas eruditio, linguarum earumque difficultatum exquisita cognitio et investigatio luculenter patent. (Cfr. quae alibi, *Per Orbem*, p. 234-235, de hoc Lexico referuntur)

J. MIR, C. M. F.

**ARBEBO.** — *Vita et passio Sancti Haimhrami Martyris*. Lateinisch - deutsch ed. Bernhard Bischoff Ernst Heimeran Verlag - München, 1953.

Jucundum sane hanc Vitam et passionem Sancti Haimhrami Martyris, ab Arbeone Frisingensi Episcopo exarata, oculis ac mente perlustrare; etenim ingenuae illae mediæ aevi litteræ Latinae, præsertim vero apud Germanicas gentes, se sponte lectoris animo quasi instillare videntur. Et primigenius Latinus textus et Germanica conversio in hoc opusculo tibi degustanda offeruntur (pp. 6 - 83).

In appendice vero (pp. 84-108) non nulla accurate recensentur, quae ad altiorem libri cognitionem pertinere aestimantur Itaque, epilogi gratia, de vita atque opere Arbeonis Episcopi quaedam memoratu digna proponuntur. De libri autem materia ejusque structura atque forma linguistica singillatim disputatur. Non nulla adduntur de «traditione» et lucubrationibus vel operibus recentioribus; atque lectoribus commoda sunt superadditae, juxta scriptorem Krusch, non nullae notulae ad textum.

**LUIS FLÓRBZ.** — *Lengua Española*. Publicaciones del Instituto Caro y Cerveto. Bogotá, 1953.

Apte colliguntur in hoc volumine non nullae ore tenus explicationes quas præclarus olim scriptor habuit ad microphonium Radii Nationalis in re publica Colombiana. Atque hujusmodi collectionis est finis in vulgus edere quasdam notiones, quae intimam relationem habent cum lingua Hispanica, unaque notitias notatu dignas linguae Hispanicae in dictione Colombiana lectoribus offerre.

Non nulla diserte scriptor de philologia et linguistica disputat, de partibus orationis, de grammaticis scholaribus, de origine linguae Hispanicae, de lingua Hispanica in libro vulgo dicto «Quijote», de correctione et proprietate, de «Indi-

geno» in lingua Hispanica Americae in fluxu, et

Vere hic pulcer liber his commendandus, qui de litteris Hispanicis et Americanis notitiam amplam atque eam profundam habere intendunt.

**ILDEPHONSO GONZÁLEZ, C. M. F.**

**DAG NORBERG** — *La poésie latine rythmique du haut Moyen Age*, Hugo Gebers Forlag, Stockholm, La Brogatan 26, 1954, pp. 120

Clarus et in dictione sermonis Latini mediæ aevi notissimus auctor opus recentissimum in quo doctrinam et lucubrationes nonnullas ad hymnographiam mediæ aevi spectantes collegit et explanavit. Non est revera tractatus alicui rationi constrictus seu «systematicus», sed tantum nonnullarum quaestionum investigatio et emendatio quorundam judiciorum Dni. K. Strecker in opere cui titulus «Monumenta Germaniae. Poëtæ Latini aevi Carolini», quod auctor crebris exemplis corrigendum confirmat

Praeter ceteras placuit disquisitio de natura et origine suavissimi illius hymni Majoris Hebdomadae «Congregavit nos in unum Christi amor», quem cl. scriptor Sancto Paulino Aquilejensi tribendum putat; et investigatio de pulcro poëticō sermone Sancti Ambrosii.

Indices, in fine operis, quamvis breviores, utiles tamen reputamus his præsertim qui sermoni Latino mediæ aevi vacant elique dant operam

**L LAURAND** — *Manuel des Études Grecques et Latines*, Tome II, Rome Édition entièrement refondue par A. Lauras, Paris, Éditions Picard, 1955, pp. 616, fr. 1.900.

Haud magna commendatione hoc notissimum opus indiget, quod omnes studiorum classicorum cultores ad manus habent. Sed est ratio singularis cur commendetur. Nunc prodit nova editio — prima post mortem auctoris magna cura et studio recognita et nostris tem-

poribus aptata, praesertim in bibliographia reficienda.

Optimo consilio totum opus, non in tria, sed tantum in duo volumina divisum editur, appendicibus tertii voluminis proprio loco duorum voluminum distributis. Volumen alterum, quod nunc lectoribus offerimus et commendamus, continet praecipua quae sub rubrica «Roma» agi possunt: Geographia, Historia, Institutiones, Litterae Latinae, et Historia Linguae Latini. Omnia clare, distincte et omnino ad scientiae rationem exponuntur. De hac nova editione recte auguramur eamque prosperam habituram fortunam, ut priores editiones, certo speramus.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

A. ESPINOSA PÓLIT, S. J. — *Lírica Horaciana, Odas, Epodos, Canto secular, en verso castellano*. Quito, 1953, pag. 237,

Nobilissimus in excolandis et pertractandis litteris Latinis P. Aurelius Espinosa Pólit in opere «*Lírica Horaciana*», carmina, epodos et Carmen saeculare Venusini poëtae in linguam Hispanicam pulcherrime convertit, idque polito exquisitoque, quo est ornatus, judicio est assecutus. Praetermisit cl. auctor epodos quos omnes interpretes omittere solent.

Non desunt apud Hispanos accuratae Horatii interpretationes; sed cum in vate Romano multae sint virtutes difficile est omnes attingere seu «totum» interpretari Horatium. P. Espinosa Pólit praecipuum in opere Horatiano notam dicendi brevitatem judicavit quam totis viribus est insecutus ita ut 3687 versibus Latinis totidem versus Hispanici respondeant. Qua concisa brevitate sublimem intimamque illam clarissimi vatis Romani vim comprehendendam semper curat.

Est sane cur Hispanicae et Aequatorianae litterae de novo gaudеant perenni opere.

I. GRAS, C. M. F.

*La República de los Atenienses*. Introducción de Manuel Cardenal de Iracheta; texto, traducción y notas de Manuel Fernández Galtano. Instituto de Estudios Políticos Madrid

Lucida atque scita *Introductio* (pp. V-XV), ab incito Philosophiae professore M. C. de Iracheta exarata, tanquam fundamentum est ad hunc libellum facilitius a lectoribus intellegendum. Facili quidem calamo copiaque eruditio, ea presse omnia recolit, quae adhuc autores egerunt de hoc opere de *Re publica Atheniensium*, quod mediis aevi manuscripta annumerabant inter *Opera Minor* Xenophontis; hodierni vero scriptores aliter sentiunt.

Quidquid de scriptore est, cum historia politica, tum scientia philologica maxime de opusculo hoc gavisae sunt, idque haud parvi momenti de re semper duxerunt. Quocirca maxime nobis est laudandum studium et opera praeclaris viri M. F. Galtano, in Matritensi Universitate philologiae Graecae magistris, in hac textus nobis comparanda Hispanica conversione, quae, multis lepidisque tanquam notulis conspersa, vere idonea est ad textum Graecum, non semper ex se perspicuum, enucleandum.

Hujus editionis textus, scilicet eccliticus, innititur tribus praecipuis manu scriptis: B (Vaticanus Graecus 1950); C (145 Estensis Modennensis); M (511 Marcianae Venetae). Apparatus criticus libri certe selectus et accuratus. Paucis, in multis hujus textus Graeci lacibus naevisque, interpres conversionem nobis commodavit, quae fidele est libellii specimen, ex quo scientia politica Europea maximi momenti documenta temporum cursu haurire intendit. Ex quo magna tribuenda laus claro professori M. F. Galtano, de Graecis litteris adeo bene merito.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**U. E. PAOLI.** — *La donna greca nell'antichità*. Felice Le Monier, Firenze, 1953. pg. 186. L. 1 200.

In promptu, humanissime lector, librum habes, qui, diligentia atque accurata expositione de vita moribusque mulieris in pristina Graecia, facile oculos animumque tuum in se convertat.

Post brevem praefationem, in qua clarus oeris scriptor finem et argumentum paucis explicat, propositum sedulo exsequitur. En tibi operis summa: disserit in primis (pag. 1-12) de ratione se gerendi mulieris in publicum prodeuntis; caput deinde (pag. 13-34) subsequitur, ad curiosos magnopere spectans, de mundo multebri et ornatu: ( $\mu\epsilon\rho\alpha$  seu  $\tau\alpha\pi\alpha$ ,  $\chi\tau\alpha\mu\eta$ ,  $\zeta\omega\eta$ ,  $\chi\tau\omega\eta\lambda\omega$ ,  $\iota\mu\alpha\tau\omega$ , ceteri); deinde de *infantia*, de *nuptiis* (pag. 37-54), de officio materno (pag. 55-82) et auctor multa copiose et scite tradit, atque sub finem (pag. 84-98) rem agitat de his quae ad pudicitiam spectant.

Opus accurato rerum indice (pag. 101-177) finitur ubi verba et notiones maximi momenti exquisita eruditione evolvuntur Optimus certe liber qui ab omnibus justa aestimatione habebitur, estque Graecae historiae studiosis in primis commendandus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

**G. DE PLINVAL.** — *Pour connaître la pensée de Saint Augustin*. Bordas, rue Mouton-Duvernet, Paris (14). 1954. pag. 242.

Intendit, igitur, auctor perstringere, critico studio atque arte, adspectus progressus philosophici in extimo Ecclesiae Doctore, Sancto Augustino. Idecirco ejusdem mira doctrina in libro consideratur sub specie ipsius vitae et sub logica interna et necessaria quae inest principiis et sub ejus vigore, actione, expansione.

Ne prolixior siam, praecipua capita attingam: Prima fundamenta culturae

divi Augustini: «Rhetorica et philosophia Experientia Manicheismi Ab scepticismo ad spiritualismum. Ardor seu fervor Platonicus. Dialogi ad «Cassiciacum» habiti. Quaestiones praeципuae: anima et cogitatio; Deus et mundus. Scientiarum ordo. Malum ejusque significatio. Platonismus christianus. Mens quasi fidel collaboratrix. Polemica et apologetica Augustini in Ecclesiae adiutorium. Confessiones; Civitas Dei... Opus, paucis, sc 242 paginis maximi momenti «scientifici» constat, monumentumque erit in gloriam illius sanctae Ecclesiae Doctoris, cui nomen Augustinus.

I. DEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

**R. GIOMINI.** *Appendix Vergiliana*. Testo, introduzione e traduzione a cura di... «La Nuova Italia» Editrice. Firenze, 1953. Pg. LIII-282.

Novam «Appendicis Vergilianae» editionem aggredi, improbum esse videatur, cum adeo variae, implicatae, lacunosae formae in chirographis et monumentis prostent Quod opus, felici quidem exitu cl. A. est executus, regulae se subjiciens nihil innovandi nihilque conjecturae fidendi quod codicibus non innitatur... Nunc primum in hac editione Escorialensem codicem ad quaedam «appendicis» opuscula contulit.

Post LII paginæ prooemii, in quibus ea omnia, quae monumentorum et codicium historiam spectant breviter endantur ac describuntur, poëmata «Appendicis» colliguntur cum adnotationibus copiosis apparatus critici Postremo omnium opusculorum italica versio additur, qua facilius omnes eadem legere possint, quae a pluribus saltem — etsi falso — Inter Vergiliana opera computari meruerunt Indices nominum ac librorum manu scriptorum, quibus res facile evolvuntur et conferuntur, eruditis valido adjumento esse possunt

**PASTI CAPITOLINI** — Recensuit, praefatus est, indicibus instruxit ATILIUS DE GRASSI Corpus Scriptorum Paravianum. Aug Taurinorum. 1954 Pag 191

Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum hanc minorem editionem Fastorum Capitolinorum et Consularium et Triumphalium paravit. In qua minore editione, ut ait cl. vir Degrassi, nudus textus proponitur paucis discrepantibus majoris momenti in fastis legendis et supplendis adnotatis. Quare, si quis de textu, de supplementis, de lacunarum amplitudine, de personis plura setre voluerit, editionem illam adeat quam imaginibus ac photographis amplissime commentaritis diagrammatisque, officina libraria «La Libreria dello Stato» Romae, anno 1947 vulgavit. Editio haec Paravia na quae amplissimis indicibus locupletatur, magno adjumento esse potest et alumnis et viris eruditis.

J FANTINI, S. J. — *Normas prácticas sobre apuntes personales.* «Perficit», Salamanca, 1954. pg 57

P. J. Fantini, in tradenda lingua Graeca maxime peritus expertusque magister, quicquid libri de «scientifica» methodologia continent in pauca contrahit in hoc opusculo, cui adjicit etiam quicquid experimento scholasticis utile commodumque fore visum est ut ex annotationibus fructum capere possint.

Brevis, utilis, clarus libellus est; cuius virtutes, mirum in modum libri conjunctae, maximo commodo erunt scholasticis qui «superiora», ut ajunt, studia incipiunt.

L. TORRES DA SILVA. — *Método moderno para a tradução do Latim.* Amparo, (São Paulo) Brasil, 1954. pg. 72

«Ut linguam Latinam discamus scriptores convertamus; sed antea convertere discamus» (p. 14); «scriptores reddere perdiscamus»: en lemma hujus opusculi in quo apta methodus ad opera Latina in vernacula lingua convertenda traditur. Opus certe parvum adspectu, ple-

num autem argumenti, in quo, praeter ea quae ex proprio penu habet auctor, optima quaeque aliorum scriptorum. Gallorum praesertim, colligit, atque utilem et commodam monstrat viam. Magistris et discipulis Brasiliensibus et Portugallensibus qui linguae Latinae colendae vacant.

Cum hujus operis scriptor selecta opuscula consuluerit ex hisque probatam eduxerit doctrinam, dignus est qui attente legatur et studiose commendetur.

JACOBUS SIDERA. C M. F.

T. CIRESOLA. — *La formazione del linguaggio poetico di Persio*. Tipografia Teo Longo. Rovereto, 1953.

Tanquam auri solida columna «monographia» haec de poëtico sermone Persii: brevis quidem mole (pp. 5-45) maturus autem scriptoris ingenii fructus, Latinarum litterarum studiosis maxime carpendus eorumque animo rependendus. Multum saepe quaesita et Persiles de obscuritate saturarum poëtae difficultis. Quae tamen antinum clari viri Th Ciserola neutiquam deterruit.

Gracili certe ingento de Persio scriptoribusque ejusdem temporis dissertit, quo facilius dicendi Poëtac genus comparetat (pp. 5-10). Tum, exemplorum copia et selectione, rationem conceptus poëtici Persii exponit (pp. 10-14). Atque porro agit de sermone Persii poëtico; de vocabulis unius Persii propriis, vel rarioribus usus; de vocabulis structurisque linguae popularis; de graecismis; de archaismis; de participiorum usu; de verbis inchoativis; de sermone poëtico Persii; de mutatione sensus vocabulorum; de vocabulis in significatione analogica usitatis; de vocabulis in significatione metaphorica; de adjectivorum usu; de imaginum densitate; de structuris brachylogicas.

Denique lucubrationem commode deficit auctor; non nulla de obscuritate Persii sermonis disputat atque de momento poëseos Persii. Nota autem de re bibliographica et copiosa et selecta.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM Lauria 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Premium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. I - FASC. IV

M. DECEMBRI

A. MCMLV

## VISNE LATINE SCIRE? - LEGE

Ut libros legas, hos tecum semper habere debes, aut ad bibliothecas, ubi asservantur, diligenter accedere. Qui litteras amant et hominum humanitatem fovent bibliothecas parant, et, ut discendi studiosi facile et commode libris uti possint, magnopere curant.

Primus, qui liberalium disciplinarum libros Athenis publice ad legendum posuisse dicitur, Pisistratus tyrannus fuit; quos deinde Athenienses accuratius auxerunt; sed illam librorum copiam Xerxes, Athenis potitus, abstulit et in Persas asportavit. Eos porro libros multo tempore post Seleucus Athenas referendos curavit. Sed illa volumina bello Alexandrino a militibus auxiliariis forte sunt incensa.

Romam vero et Aemilius Paulus Perse (a. 168) et L. Licinius Lucullus (a. 74) copiam librorum advexerunt. Caesar M. Varroni maximaee bibliothecae construenda negotium dedit; Asinius autem Pollio primus Romae bibliothecas publicavit.

Libros apud te retine eosque tibi habe familiarissimos, et ad ampliora complenda studia publicas privatasque adi bibliothecas.

## PRAECEPTA VITAE INFORMANDAE

Facile argui moneri que puer patiatur: quae agendi ratio in omni aetate, causa, condicione est salutaris. Nam imbecillis est stomachi ferre non posse nisi delicata. Id, quod poeta his versibus expressit, cogitet adolescens:

Est opus ardentem frenis arcere juventam,  
Nec sinere in mores luxuriare malos.

Non attingendi auctores spurci ad eruditionem captandam, ne quid sordidum animo ex contagio adhaereat. Reliqua eruditio munda est et frugifera, modo referatur ad virtutem, hoc est ad recte agendum. Sic divitias habebis juxta Phaedrum (*Fab.* 4, 21, 1): «Homo doctus in se semper divitias habet».

PAEDAGOGUS

# Manlii poetae calliditas

Regium Persarum genus studium ediscendi ea, quae ad humanitatem pertinent, majorum more est aemulatum. Callidus quidam poëta in aedibus regiis apud Shah commorabatur.

Quodam die Shah, cui nomen Artaxerxes, poëtam primo mane arcessivit cui poëma a se conditum legeret. Artaxerxes, poëtam jussit juxta se assidere: «Memoria tenes, inquit, semper me ad litteras Latinas contulisse et in poëtis evolvendis me beatum a puero fuisse. Quae cum ita sint, in animo habui poëma condere non solum ut aliquid memoriae prodam sed etiam ad posteram nominis mei memoriam. Manlius poëta Artaxerxis exaudivit carmina, vocis modulatione arrogantiam spirantia. Postea cum Shah, quid de poëmate opinaretur, quaesisset, audax poëta: «Licet gravi poena, respondit, me esse afficiendum intellegam, verum plane tibi dicam: «Poëma istud merus est sermo vulgaris». Artaxerxes vero ira incensus clamavit: «Aufer te hinc! Asinus iste ad equos invehatur!».

Multo tempore post, Shah poëtam iterum arcessivit, cui poëma perlegeret sententiamque rogaret. Poëta Artaxerxem legentem audivit; recitato poëmate, surrexit et januam petebat: «Quo intendis?», rex miratus dixit: — «Ad equos, domine», respondit, ne oculis quidem in regem conversis. Shah vero statim intellexit poëtae acumen ingenii. Qui tunc maximus fuit in laudibus apud regem et aulicos, omnesque cachinnis poëtae calliditatem celebrarunt.

Hujus rei gratia Manlius ex illo tempore poëta et censor festivus appellatus est. Celsonae

ANGELUS M. SANZ

## Legionarius Luscus

Miles quidam legionarius apud Caesarem causam dicebat. Cum vero se probare non posset et Caesaris amicus adversus illum inclinaret, legionarius a duce quæsivit: «Agnoscis me?»

— Minime vero.

— Meministine legionarium illum qui, ut tuam sedaret sitim, periculum strenuus adit tibique aquam attulit? Ille legionarius ego sum.

Quibus dictis respondit Caesar.

— Mendacium dicas. Miles ille non erat luscus ut tu.

— Bene dixisti. Tunc mihi duo erant oculi, unum autem ex illis in pugna ad Mundam pro te perdidit.



Tunc vero Caesar, cum, illum intuitus, recognosceret:

— Agros, quos petis, tibi dono et deinceps in familiaribus meis eris.

SATURNINUS PÉREZ, C. M. F.

# Aqua salutaris

Quidam homo, cui nomen Robertus, honoris avidus et divitiarum, dies noctesque libris incumbebat veteribus ut lucrum faciendi modum inveniret. In foro eo dñe fuerat, ubi librum emerat.

Totam noctem summo studio legit. Subito novam invenit rem. Imo exultans corde legit: «Silvam pete quam **turdetanam**» vocant; cum terram juxta cujusdam altissimae pīnus radices removeris, mirabilem invenies lagoenam in qua guttae in annum vitam producentes reconduntur».

Robertus in silvam profectus, salutares invenit guttas, quas domum statim rettulit.

Vici magistri filius animam trahebat. Robertus domum venit: «Ne timeas; egomet filio tuo aegrotanti medebor». Cottidie in lectulis aegroti ad domum Roberti vehebantur; multaque mirabilia illae guttae patrabant, quo magnopere dives fiebat Robertus. Omnes vero guttae fere exhaustae erant. Tum lecto, febri perustus, Robertus incubuit. Una tantum, in qua esset vita, restabat gutta.

Rex autem, ut filiae aegrotanti mederetur, ad Robertum venit. Cum rex venisset, ab eoque guttam filiae Rosaura instantius peteret: «Nequaquam, respondit. Mortis soporem in corpore sentio. Haec gutta mihi vitam in annum producet».

- «Dimidium tibi dabo regni», rex institit. Avidus nutabat Robertus.
- Tibi filiam dabo Rosauram sponsam.
- Principem evadere... Principem evadere...

Lagoenam rex accepit. Dum Rosaura filia sanabatur, multis manu deprehensis divitiis, Robertus emoriebatur misellus!

PETRUS CODINACHS, C. M. F.

## AESOPUS ET VIATOR

Aesopus, fabularor ille, cum, rerum pauperrimus, saepe pedibus iret, in excursione quadam viatori in via occurrit, qui sistens interrogavit: «Dic, quaeo, quota erit hora cum in illum pagum, qui est supra tumulum, perveniam?» — «Rem scies, respondit Aesopus, cum perverteris».

Cum viator se id jam scire dixisset, seque, quantum temporis impensurus esset, interrogare, Aesopus, ira succensus, eandem rem iteravit.

Viator viam perrexit secum dicens: «Homo iste mihi ignarus videtur: neque id, quod ab eo quaesivi, mihi respondit».

Paulo post se arcessi audivit, et respiciens Aesopum se insequentem vidit. «Quid vis?», interrogavit. Cui Aesopus: «In pagum post sesquihoram (post horam cum dimidia) pervenies». «Et qua re, me interrogante, id non respondisti?». — «Quia nesciebam quo modo ambulares».

GEORGIVS VERNET, C. M. F.

# EPISTULAE MUTUO DANTUR INTER ALUMNOS

...Maximo cum gaudio audivi de consecratione totius Hispaniae Cordi Immaculato Beatae Mariae et spero Eam vobis omnibus gratias plurimas in posterum impetraturam esse.

Hoc anno sacerdotes in Scotia Collegio nostro donaverunt novam statuam Beatae Virginis sub titulo «Mater Perseverantiae».

Mense Majo in patria nostra comitia habita sunt et partes quibus nuper praerat Winstorius Churchill, et nunc Antonius Eden, praclare vicerunt. Itaque ratio rei publicae gerendae nullo modo mutata est.

Paucis diebus feriabor et duo menses domi habitabo, sed fortasse cum ad Collegium mense septembri rediero, epistulam aliam a te accipiam...

VINCENTIUS NEILL

*St. Mary's College. BLAIRS –Aberdeen–, in Scotia*

## CUI RESPONDET:

...Epistulam perlegens tuam, animadverte Scotiae scholasticos ab Hispanicis non multum differre in probationibus seu examinibus subeundis. Undecimo kalendas Julias ferias gaudio maximo incepimus; undecimo autem kalendas octobres finivimus, quare nos scholastico sermone ironice dicimus «feriae exhaustae sunt». Priusquam eas incepimus hebdomadam habuimus quae ab alumnis vulgo «tragica» (i. e. probationum) vocatur, qua exacta, sacrum seu Missam sollemnem habuimus ac Deo grates egimus pro omnibus beneficiis per totum illum annum scholarem acceptis.

Postridie nobis P. Rector largitus est diem rusticationis (i. e. unum diem rusticati sumus). Eo die magnam visimur paludem vulgo «Barasona» appellatam, quae nomen sumit a vico «Barasona» in ea submerso.

Nunc, ut inter amicos, a te beneficium petere cupio. Studiosus sum pittaciorum (anglice «postage-stamp») et etiam habeo nonnullas collectiones; sed invitus, deficientem habeo Angliae collectionem. Existimans tamen Britannica pittacia tibi communiora esse quam mihi Hispanica, audeo te rogare ut non nulla mittas quae ego, si vis, perlibenter cum Hispanicis mutabo. Ego autem jam tibi Hispanicorum pittaciorum parare collectionem incepi, nam existimo tibi maximae voluptati fore...

PETRUS CODINA

*e Collegio Claretiano. BARBASTRO, in Hispania*

...Schola nostra, Beatae Mariae Virgini dedicata, sita est apud Blairs, vicum quandam qui distat circa quinque milia passuum ab oppido Aberdonia in Scotia Septentrionali. Curriculo perfecto, spero me duobus post annis ad aliud Collegium esse iturum ad Philosophiam et Theologiam ediscendam. Collegia Scotorum sita sunt in Italia (Romae), in Hispania (Vallisoleti), in

Scotia (Glasguae et Edimburgi). Fortasse igitur ad patriam tuam ibo ad studia complenda...

JACOBUS McCALLUM  
*St. Mary's College. BLAIRS - Aberdeen -, in Scotia*

CUI RESPONSUM DAT:

...Ferias in Collegio agimus. Saepissime et hieme et aestate pedibus pilam pulsamus; etiam pila palmaria ludimus et aliis ludis qui nos fortis viros efficiunt. Non desunt apud nos ludi tranquilli et quieti ut latrunculorum et calculorum. Sed quae mihi magis placent sunt excursiones per montes et silvas in proximos vicos et descensus in specus...

*in Collegio Claretiano. BARBASTRO, in Hispania*      J. A. PUERO

...Sunt in Collegio fere ducenti discipuli ex omnibus Scotiae dioecesibus. Fundum magnum habemus et etiam aliquot agros ad ludos paratos. Hieme saepissime pilam pedibus pulsamus (i. e. anglice «foot-ball»), aestate tamen ludus praecipuus est «Cricket».

Velim cognoscere aliqua de vita, de Collegio et de ludis vestris; fortasse in epistula tua proxima de his rebus mihi complura narrabis.

JOSEPHUS FITYPATRICK  
*St. Mary's College. BLAIRS - Aberdeen, in Scotia*

CUI RESPONSUM REDDIT:

Tuis litteris respondeo hasque ad te mitto et confido his nos amicitiam conjuncturos: eadem enim habemus studia, Christi sacerdotes fieri optamus.

Cum tua intersit quomodo vitam agam et cuiusmodi sit collegium nostrum, his volo tibi placere. Ut videre potes Barbastri, prope Cingam, studeo humanioribus litteris; linguis Latinae et Graecae, Gallicae et litteris Hispanicis, praeterea rei mathematicae. Duobus post annis cum Philosophiae operam dabo, linguam quoque Anglicam ediscam. In Collegio nostro marxistarum vexationum adhuc vestigia manent, nam cum unum et quinquaginta sodales — collegii magistros, sacerdotes, scholasticos Theologiae et Fratres — pro Christi fide occidissent, eo ad res militares usi sunt...

*in Collegio Claretiano - Barbastro, in Hispania*      J. A. COSTA


Quam gratum nobis est litteras vestras accepisse. Gratias maximas tibi agimus. Discipuli sumus triginta. Magno cum gudio accepimus «Acta Diurna» tibi placuisse. Jam tres annos linguam Latinam discimus.

Nostrum oppidum Nantwich est propinquum Devae. Mox feriae erunt in ludo nostro; et nostrum unus ad Provinciam quindecim dies profecturus est, una ad East (?) non procul a Regno quindecim dies.

JOHANNES OWEN ET BARBARA BEEGH  
*The Grammar School - Nantwich, Cheshire*

# SCUTUM IMPERENTRABILE





# MISCENTES UTILE DULCI...

## FACETE, SAPIENTER, ACUTE DICTA

Apud Aeginetas lex erat, ut si quis Atheniensis Aeginam venisset, capital (*crimen de pena capital*) esset. Huc cum esset deductus Plato, ut venumdaretur, capititis postulatus est a Carmendio, qui eam legem tulerat; sed tempestivo cujusdam joco liberatus est. Ait enim legem habere, «si quis homo», at hunc esse «philosophum».

Diogenes mulierem aniculam se curiosius exornantem intuitus: *Si vivos, inquit, lenocinto alicere voles, plurimum falleris; sed si defunctorum umbras, ne, oro, diu cuncteris (no te entretengas mucho)*.

## HOMINES TACITURNI

Paulus simplex, Pauli primi Anachoretae discipulus, magistro jubente, integrum triennium obstinate tacuit.

Nemo discipulorum Pythagorae minus biennio conticuit.

Agatho lapidem in ore tenuit per triennum, ut silere disceret. Thomam vero Aquinatem condiscipuli «bovem taciturnum» appellabant, quod semper taceret, loqueretur numquam in aula, sed audiret tantum.

Zeno, cum legatos Antigoni regis missos Athenas cum non nullis philosophis ad cenam invitasset, et ceteri omnes verborum multitudine doctrinam suam ostentarent, solus ipse tacuit; silentii causam percontantibus legatis, respondit difficillimum esse omnem retinere sermonem.

## SAPIENTIUM DICTA

Sapiens adulescens parum loqui consuescat, praesertim cum ab omnibus fere habeatur odio multiloquium. Veteres ajebant: «Audi multa, loquere pauca: os enim unum et aures duas a natura accepimus». Solon item interrogatus a Periandro utrum propter inopiam verborum, an quia stultus esset, taceret, respondit: «Nemo stultus tacere potest».

**Disce, puer, variis loquendi formulis pure lingua Latina uti**

«*Plurimum te amo*»

- |                                   |   |
|-----------------------------------|---|
| 1. Nemo est mihi te carior        | 12. Singulari amore erga te sum   |
| 2. Nihil est mihi te carius       | 13. Singulari sum in te benevolentia  |
| 3. Ex animo te amo                | 14. Nemo est quem magis ex animo quam te diligam                                |
| 4. Tu mihi es carissimus          | 15. Sic te diligo ut neminem magis  |
| 5. In oculis te fero              | 16. Amo te singulariter —magnopere, vehementer, mirifice, unice, mirum in modum |
| 6. Te maxima caritate complector  | 17. Ego te ut oculos diligo   |
| 7. Mihi es in amore               | 18. Amor in te meus cumulatissimus est.   |
| 8. Tuis sum maxime studiosus      |   |
| 9. Te mihi carissimum habeo       |   |
| 10. In amore te magnopere habeo   |   |
| 11. Singulari amore te complector |   |

PAEDAGOGUS

# ALUMNORUM SCRIPTA

## SANGUIS SUPER NIVEM

Die vesperascente, nives campos Russiae oppleverant. Magni rivuli sanguinis effusi prospiciebantur. Multi milites vesperi in pugna obierant; temperarunt a caedibus, et loca extrenia late silentio noctis operiebantur.

Tantum brevibus intervallis vox: «Custos adesto!» exaudiebatur, quae miserabilibus vulneratorum vocibus immixta, longe extinguebatur. Milites super nivem dormiebant. Napoleo silentio ac meditatione castra perlustrabat. In tabernaculo chiliarchi Dronot lucerna fulget. —«Quis est hic, ex vigili quaerit, qui adhuc post tam acerbum proelium non dormit?».

Chiliarchus Dronot nunc orat. Napoleo eum inspicit et Deum ipse quoque orat. Noluit tamen illum perturbare ac recessit. Postero die iterum ad pugnam. Dronot sicut leo pugnabat. Cum ad eum Napoleo accessisset, dixit: «Dronot, in posterum dux meus eris; jam scio unde virtutem tuam sumis: ex oratione». Strenuus miles respondit: «Si non orarem, ignavissimus essem homo».

BENJAMINUS M. FORCANO, C. M. F.

## HOMO MAXIMIS CORPORIS VIRIBUS PRAESTANS

Fuit quondam agricola vi corporis inter omnes insignis. Cumque simul lacertosus et torosus esset, omnes, qui ad eum experimenti causa accedebant, aliqua plaga vulnerabat.

Homo quidam e longinquis terris ad illum luctatus venit; cumque responsum accepisset agricolam ruri esse et prope saepem domus laborare, ex equo descendit, lora constrinxit et illuc accurrit. Quo ubi pervenit, equum ad saepem alligavit. Amice, inquit, ad aures roboris tui fama pervenit, atque experimentum capere exopto uter nostrum alterum dejicere possit.

His dictis, agricola sarculum, quod manibus tenebat, relinqueens, adversarium crure prehendit et in finitimum pratum projectit. Postea, immutata facie, laborem est prosecutus.

Cum jam validus et audax ille eques stare potuit, ei agricola dixit: «Quid amplius est tibi quod perficere possim?» —«Nihil, inquit exterritus eques, unum tantum a te postulo ut ad me eadem via equum mittere velis, nam officio peracto, cupio ad meos quam primum redire». N. CABALLERO, C. M. F.

## AFRICANORUM MAGISTRA

Quodam die interrogaverunt eximiam Africanorum magistram qua ratione et arte uteretur ut cogitata insereret in mentes parvulorum discipulorum. —Simplicissima, inquit, utor ratione: Primum dico eis quid explicatura sim; deinde explico quod eis explicandum est; postremo, quod modo explicavi... JOHANNES GALLICI

e IV cursu Gymnasii, (ex Argentina)

# AENIGMATA



10.

Ut matrem ipse meam gigno,  
sic gignor ab illa;  
Et modo sum major,  
sum modo matre minor.

11. Si caput est, currit, ventrem conjunge, volabit;  
Adde pedes, comedes, et sine ventre bibes.
12. Est quidam sine P cui servit noxque diesque,  
P si conjungas, feceris inde togam.
13. Arbor inest silvis, quae scribitur octo figuris:  
Fine tribus demptis, vix unam in mille videbis.



## ANAGRAMMATA LATINA

Ambrosius: *Ambo-risus*  
Annus: *Nanus*  
Amicus: *I musca*  
Adulator: *Laudator*

Amore: *More-ore-re*  
Amor: *Roma; mare; mora; armo*  
Aura: *Arva*  
Asper: *Par-es; Persa; spera.*  
**PAEDAGOGUS**

## EPIGRAMMA

«Sorbitonis nunc calidae patinam, optimè, praebe,  
Hanc frigidam video»; tum puer inquit ei:  
«Atque hanc quo modo rem quaeso cognoscere possis»?  
—Quod dígitum fers in sorbitione mea.

GEORGIUS VERNET, C. M. F.

Celsonae. *Philosophiae alumnus.*

S O L U T I O N E S (Cfr. PALÆSTRA LATINA, Fasc. III, p. 191)


AENIGMATA: 6 Hirundo - Hirudo  
7 Pars - Ars  
8 XIX - XX  
9 Odilo

ABACUS VENEFICUS INTERPRETATUR (p. 192)  
• Non jacet in molli veneranda scientia lecto:  
Ipsa sed assiduo parta labore venit..

PICTURA IN VERBA CONVERTUNTUR:  
In - sol - en - ter  
Lux - ur - io - sus

Invenerunt: P. Brasero, S. Pérez, Eslava (CELSONAE)  
P. Codina, Guardiola, Bosch (BARBASTRI)

# RIDEANT PUERI!...



## SCALAE SANCTITATIS

- a) Evoe!
- b) Cycladum unam insularum.
- c) Mensem anni valde floridum.
- d) In insula quadam maris Aegei.
- e) Transcribe.
- f) Informa.
- g) Ex quo versiculum nascitur.
- h) Obvenio, obviām eo.
- i) Verbum, quocum omnia appellantur.



*Publicae securitatis custos: Quidnam agis?  
Ebrius: Aditum «metri» (=metropolitani) quaero.*

JOSEPHUS MELE

## QUANTA FORTITUDO!

*Quidam homo suae virtutis ostentator, ut hostem vitaret, diffugit; hostis autem, ejus jactantiae testis, cum illum currentem vidisset, agnovit. «Ubi est, inquit, tua virtus?» Ille vero, ne intermisso quidem cursu, dixit: «In cruribus».*

ANTONIUS IBÁÑEZ

## CUSTOS PISCATORI

*«Tibi multam viginti pesetarum irrogo, ne alias in loco vetito pisceris».*

*«Ego equidem non piscor; tantum piscibus cibum praebeo».*

BENJAMINUS M. FORCANO

*e Collegio Celsonensi*

*Ludimagister: «Multa flumina mare intrant et umbres plurimi in illud decidunt. Cur non exundat?»*

*Puer: «Hoc pisces potant».*

*«Dorsum spinale est os magnum, quod tergus nostrum decurrit. In parte suprema collum sedet, in infima ego».*

MANGEOT

*e Germania*

*Praeceptor: Responde, quaeso: cur anulus in sinistra gestatur?*

*Discipulus: Ut a dextra defendi possit.*

PAEDAGOGUS

Si recte, juvenis, minimas jungis numeratas  
Transversis trabibus, magnis in vectibus illud  
Dictum comperies a Sancto Patre relatum.

—  
Cum classiarius quidam per mare navigaret, contigit ut horologium e manibus ducitis in aquam decideret.

— Potest dici rem esse amissam, cum, ubi sit, sciamus?

— Minime, locum enim scimus.

— Recte respondisti, inquit classiarius, Itaque de horologio ne sis anxius, quia illud in mari profundo esse cognitum habes.

JESUS CABRÉ

## FLUMEN MISSISIPI


Quidam Europaeus cum ad ripam Mississipi fluminis in longum cursus praecipitis deambularet, ab agricola quaesivit: «Quod nomen est illi?»

— Necesse non est illum vocare, cum ipse sponte veniat.

ANGELUS M. MONREAL

# Curiosa et jocosa

## ABACUS VENEFICUS



Velum                    29 48 37 13 31 30 19 17  
Jocosus                12 40 18 49 9 16 21  
Britannicae

(herbae) 42 22 23 3 25 43 11  
Nota                    50 5 15 34 14 8  
Uda                    44 36 45 6 20  
Perforo               2 28 41 21 10  
Lavans                39 1 32 24 35  
Vinum                 47 38 4 26  
Pumillones           7 33 27 46

OLEGARIUS HERREROS, C. M. F.

—

Si a prima, puer, cellula seu quadro incipiens modo «equi latrunculorum ludi» salteris, Tullianam quandam leges sententiam.

XAVIER PERNA

Dominus: «Si te bonae frugi futurum polliceris mihi, tres sestertios (reales) tibi dabo.»

Puerulus: «Id sane promittam, domine, si decem dederis; nostra enim aetate omnia in dies villus veneunt


JOSEPHUS COMAS

## TESTAMENTUM

Ecce testamentum singularissimum ab homine Parisiensi factum:

«Nihil possideo, multum debo, cetera pauperibus dono.»

FLORENTIUS GARCIA



PICTURAS. PUER, IN VERBA CONVERTE ET LEGE

# TEXTOS PALAESTRA

venales prostant apud officinam Librarium

**GRAFICAS CLARET — Lauria, 5 — BARCINONE**

Libri qui ad scholas Latinitatis spectant:

*Textus primigenius cum notulis:*

|   |    |                                    |   |
|---|----|------------------------------------|---|
| ad Cursum I   |    | (Constat pris.)                    |   |
| JIMENEZ, Latín, Primer Curso (2 edit.)  | 12 |                                    |   |
| • Historiae Sacrae Compendium (4 edit. paratur)                               |    |                                    |   |
| ad Cursum II  |    |                                    |   |
| JIMENEZ, Latín, Segundo Curso (2 edit.)                                       | 20 |                                    |   |
| • Epitome Historiae Graecae (4 edit.)   | 6  |                                    |   |
| SARMIENTO, Phaedri fabulae (edit. paratur)                                    |    |                                    |   |
| ad Cursum III et IV   |    |                                    |   |
| JIMENEZ, Latín, Tercero y Cuarto Curso  | 30 |                                    |   |
| RAMOS, Cornelii Nepotis Vitae   | 5  |                                    |   |
| MIR, Ciceronis Epistulae selectae   | 4  |                                    |   |
| JIMENEZ, Caesaris de Bello civili (2 edit.)                                   | 6  |                                    |   |
| JIMENEZ, Ciceronis pro Archia poëta   | 4  |                                    |   |
| JIMENEZ, Ciceronis in Catilinam   | 4  |                                    |   |
| ad Cursum V   |    |                                    |   |
| MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.)                                  |    |                                    |   |
| MESA, Sallusti de Catilinae Conjurazione (2 edit.)                            | 8  |                                    |   |
| PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega  | 36 |                                    |   |
| ad Cursum VI  |    |                                    |   |
| MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.)                                   | 5  |                                    |   |
| SARMIENTO, Martialis Epigrammata  | 4  |                                    |   |
| MESA, Titi Livi Historiae selectae  | 8  |                                    |   |
| ZULOAGA, Horati Carmina selecta   | 8  |                                    |   |
| RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I)   | 10 |                                    |   |
| RAMOS, Xenophontis Anabasis (lib. I)  | 12 |                                    |   |
| TEXTUS PRIMIGENIUS TANTUM   |    |                                    |   |
| Ciceronis Epistulae   | 2  | Sallusti de Catilinae Conjurazione | 3 |
| Ciceronis in Catilinam  | 2  | Titi Livi Historiae                | 3 |
| Ciceronis pro Archia  | 2  | Vergili Aeneidos (lib. II)         | 3 |
| C. Nepotis Vitae  | 2  | Horati Carmina                     | 3 |
| V A R I A   |    |                                    |   |
| MIR, Nova et Vetera (aptissima ratio qua hodie latine<br>cum amicis loquaris) |    | 20                                 |   |
| JIMENEZ, De Orthographia Latina (voces dubiae recensentur)                    |    | 6                                  |   |

# PALAEASTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

---

Subnotatores rogamus ut premium commentariorum  
quam primum solvere velint:

|                    |                         |              |
|--------------------|-------------------------|--------------|
| PRETIUM in a. 1955 | in Hispania             | 38 pesetarum |
|                    | in America              | 43 "         |
|                    | in reliquis civitatibus | 55 "         |

PRETIUM PALAESTRÆ ADULESCENTIUM 15 pesetarum  
Extra Hispaniam et Americam 20 "

---

Qui extra Hispaniam sunt subnotatores per publicas argentarias syngrapha nummaria (*chèque*) premium mittere possunt. Nationis pecunia superiorius constitutum premium exaequare debet.

«Curatores commentariorum» apud exterios cives in sequenti fasciculo evulgabimus, quos ad solvendum premium cives exterarum gentium facilius adire poterunt.

Magistros Latinitatis, Institutorum, Seminariorum Professores  
certiores facimus

P A L A E S T R A M   A D U L E S C E N T I U M  
separatim edi.

PALAEASTRA ADULESCENTIUM a magistris Latinitatis libentissime accipitur, qua in scholis utantur.

PALAEASTRA ADULESCENTIUM alumnorum animos ad literas Latinas colendas vehementer excitat et incendit.

PALAEASTRA ADULESCENTIUM, magno solacio, suavissimo studio, festivo joco, omnibus est. — Rident pueri, rident juvenes, rident omnes!... et dum rident linguam LATINAM discunt.